



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vetere Clerico, Monacho, Clerico-Monacho, Libri Tres**


Primus veterem habitum: Secundus conuictum ac disciplinam: Tertius honores ac priuilegia describit

De Clerici, Monachi Vetere Institvto. Liber Primvs - Distinctus in tres Partes. In quibus, praeter veterem eorum habitu[m], multa quoque inserta de veste veterum laicorum. Breuiterq[ue] explicata singulorum origo, & antiquitas.

**Landmeter, Laurentius**


**Lovanii, 1626**


**urn:nbn:de:hbz:466:1-11007**




01

N III. 40. Th. 4907.









*[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.]*



Ex Legato Celsi Principis FERDINANDI, Epi  
Paderb: et Monaster: Anno 1683.

DE  
VETERE CLERICO,  
MONACHO,  
CLERICO-MONACHO,  
LIBRI TRES.

Primus veterem habitum: Secundus con-  
uictum ac disciplinam: Tertius ho-  
nores ac priuilegia describit.

*Caesarij Socij Jese Paderborna.*

AUCTORE

Venerando Domino ac F. LAURENTIO LANDTMETER,  
S. T. L. ac eiusdem in Monasterio TONGER-  
LOENSI Ord. Pram. Lectore.

*Ferdinandi Fürstenbergij.*

THE  
MIDDLE CENTURY  
MONARCH  
GILBERT MONARCH  
ERRATA  
This volume has been  
published by the  
University of  
Paderborn  
Paderborn, Germany  
1971

DE CLERICI,  
**MONACHI**  
VETERE INSTITVTO.  
**LIBER PRIMVS:**

*Distinctus in tres Partes.*


In quibus, præter veterem eorum habitū, multa quoque inserta de veste veterum laicorum. Breuiterq; explicata singulorum origo, & antiquitas.

A V C T O R E

*Venerando Domino ac F. LAURENTIO LANDTMETER,  
S. T. L. ac eiusdem in Monasterio TONGERLOENSI  
Ord. Pramonst. Lectore.*



LOVANII,  
Ex officinâ HENRICI HASTENII, Urbis &  
Academix Typographi, ANNO 1626.



REVERENDO IN CHRISTO  
 PATRI AC DOMINO, D.  
**LAVRENTIO**  
**MALCOTIO,**  
 S. T. L. CATHEDRALIS ECCLESIAE  
 TORNACENSIS,  
 DECANO MERITISSIMO,  
 DOMINO SVO.

*R. in Christo Pater & Domine,*



Ostquam iussu Superioris  
 mei breuem Commētarium  
 scripsi ad Regulam S. Augu-  
 stini, quam pleraque Cleri-  
 corum collegia olim ample-  
 xata sunt: venit mihi in ani-  
 mum, vetus Clericorum in-  
 stitutum, quale erat in sui initio, ac ipsa radice,  
 scrutari. Hæsi in illo conatu aliquo tempore. Vi-  
 sumque est bonum aliquibus, quorum aucto-  
 ritatem

\* 3

ritatem suspicio, illa, quæ de isto argumēto con-  
 gesseram, publicari. Facio hoc, sed cunctabun-  
 dus: ac præmitto hunc librum primum, qui est  
 de vetere Personarum Ecclesiasticarum habitu:  
 idque sub auspicio nominis tui. Tum quia plu-  
 rima T. R. P. debeo, inter quæ & meipsum:  
 tum quia in Ecclesia tuâ (si alibi) semper vide-  
 re fuit priscam illam Ecclesiastici ordinis disci-  
 plinam & maiestatem. Neque enim vlllo sæculo  
 ibi defuerunt, qui primorum suorum Episcopo-  
 rum vestigijs insisterent: in quibus esset agnos-  
 cere *Superioris* Episcopi in fide sinceritatem, *Eleu-  
 zherij* castitatem, ac inuictam contra hæreticos  
 paganosque constantiam, *Chrasmeri* splendidam  
 pietatem, *Acharij* apud viros principes auctori-  
 tatem, *Eligij* zelum indefatigabilem, *Mommeli-  
 ni* eruditionem, *Eunucij* sanctitatem, *Elizei* inno-  
 centiam. Et quamuis Noortmannicæ vastatio-  
 nis diluuium, innumera ferè tam Clericorum  
 quàm Monachorum cœnobia subuerterit, vt  
 nec eorum ruinas possis ostendere: non est ta-  
 men passus Deus in Ecclesiâ Tornacensi tot  
 futurorum luminum extingui scintillam. & licet  
*Immonem* Episcopum in ipso suæ Ecclesiæ vesti-  
 bulo persecutor Noortmannus occiderit, non  
 sic tamen percusso Pastore dispersæ sunt oues  
 gregis,

D E D I C A T O R I A . 7

gregis, quin hodie liceat dicere, sanguinem sancti illius Episcopi, plurimorum Sanctorum semen fuisse. Ex hac semente *Transmārus*. Cuius Anno 937. consilio Arnoldus senior Comes Flandriæ, superstites rabiei barbaricę reliquias cœpit colligere, multaque præclarè in Ecclesiarum tam spiritali quam materiali restauratione decrevit. Non fuerunt à decessore degeneres *Rodolphus & Balduinus* (plures hic obmitto vt brevis sim:) Illum sanctitate ac doctrinâ præclarum appellat Rodolph. an. 950. Bald. an. 1049. Demochares: hic vel eo solo argumento sanctus, quòd S. Bernardo familiaris. Secutus hos *Ratbodus*. Cuius ingressus licet de Simonia fuerit notatus, pluribus tamè præclarè gestis meruit commendari. Extat S. Bernar. ad eum epist. 339. anno 1068. Eo enim sedente & curante, restitutum monasteriũ S. Martini Tornaci, quod à Noortmannis semel dirutum, huc vique iacuerat: abolita consuetudo, quâ Comes Flandriæ Sacerdotibus, siue testatis siue intestatis, in semissem, aut, vt alij, in assem bonorum mobilium succedebat. Extat pro ea re memorabile Urbani 2. rescriptum. Roberto enim Frisio pro se adleganti longi temporis consuetudinem, *Scire debes*, inquit Pontifex, *creatorem tuum dixisse Ego sum Veritas, non usus aut consuetudo.*

Sublatus per eundem Ratbodum mos ille  
meretri-



meretricius & è fornice natus, quo iuuenes sibi comam in fimbrias & cincinnos calamistrabāt. Sedata pestis sæuissīma, institutā in Festo Exaltationis S. Crucis ad Deum Deiparamque solemni supplicatione. quæ huc vsque religiosissimè durat. Non durat tamen Statua illa Deiparæ in vestibulo Ecclesiæ erecta, ad quam prostrati infirmi, quos à templo vlcerū fœtor arcebat, *Reginam misericordie*, lamentabiliter sed non inefficaciter, implorabant. Non durat, inquam. Sustulit eam impius Geusiorum furor. Nimirum non cogitarunt tunc illi impij, R. Pater, se suo sacrilegio, virtuti & gloriæ tuæ parare materiam, quando maiore religione quàm illi impietate, sublata Statuæ aliam substituiisti. Successit Ratbodo *Baldericus meritis plenus & Chronico Cameracensi illustris*. Nec degenerauit Simon, qui regiâ stirpe oriundus, sanguinis nobilitatem, maiore animi sublimitate superauit. vel hoc solo argumento magnanimus, quòd nihil Ecclesiam turbauit (poterat tamen per potentes consanguineos) sed patienter sibi Ecclesiam Tornacensem subtrahi, ac postliminio ei Episcopum restitui, tolerauit. Extat seuera eius constitutio, *Ne Canonicus Ecclesiam suam deserat: aut si deseruerit, rediens non admittatur*. Auxit liberaliter prouentus maioris  
Xeno-

anno  
1099.  
Epitaph  
Balderici  
in Eccl.  
Mori-  
nensi.  
Anno  
1121.

D E D I C A T O R I A .

Xenodochij, quod S. Mariæ dicitur : ac præben-  
 dæ D. Guntheri tunc Decani annexuit curam  
 dicti Xenodochij. à qua, de illâ præbendâ prou-  
 sus, Canonicus hospitalarius appellatur. Creuit  
 sub hoc Episcopo ciuitas Tornacensis accessu  
 Monasterij S. Medardi, vulgò S. Marci, sed per  
 errorem. De *Anselmo*, qui primus Tornacensium  
 Episcopus fuit, postquam auctoritate Apostoli-  
 ca sedes illa Episcopis Nouiodunensibus adem-  
 pta fuit, ac proprio cœpit gaudere Episcopo, siue  
 ( vt locutus est Paschalis Papa ) Sacerdote Car- P. 100.  
 dinali : de illo (inquam) non est necesse multa  
 congerere. Sufficiat in eius laudem dixisse, quòd  
 à sanctissimo Pontifice Eugenio, Romæ conse- anno  
 cratus est. Nec enim nisi Sanctum, Sanctus ille 1146.  
 Pontifex consecrasset. Transeo ad Episcopum  
*Gerardum, virum misericordie*. Cuius liberalitatis par- anno  
 tus est, domus Vallis Orchensis leprosis, eorum- 1149.  
 que necessitatibus destinata. Instituti in eum fi-  
 nem ibi ministri vtriusque sexus, separatim ta-  
 men degentes, sub religiosâ disciplinâ ; facta priùs  
 sæculi & proprietatis abdicatione. Nec eo inferior  
 fuit *Gualterus*. qui, ne videretur vineam Domini anno  
 sibi creditam pati sterilescere, erectis decem titu- 1166.  
 lis Canonicalibus, eâ tot palmitibus, quot præ-  
 bendis fœcundauit. Non se continuit intra Ec-  
 clesiam

\* \*

clesiam

8173. clesiam Tornacensem in *Everardo* successore hæc  
 fecunditas, sed se etiam in Monachorū religio-  
 nes transfudit; ædificato monasterio Donstano  
 Ordin. Cister. in territorio Brugensi. Sequutus  
 2190. hunc *Stephanus*, vir eruditione clarissimus. Docet  
 hoc, quæ hodiè extant eius Epistolæ: zelum eius  
 experta sunt duo illa præclara monasteria, S. Mar-  
 tini & S. Amandi, in quibus disciplinam mona-  
 sticam, temporum vicissitudine collapsam, resti-  
 tuti curavit. Est eius opus splendidum Sacellum  
 S. Vincentij, intra palatium Episcopale.

8204. Paris zeli ac vigoris Sacerdotalis *Goswinus* fuit,  
 qui Stephano successit. docuit id ipsum in Fer-  
 rando Comite Flandriæ, quem, nihil veritus eius  
 potentiam ac spiritus regios, ob violatam Eccle-  
 siam anathemate percussit. Ad *UValterum*  
 Anno Maruilensem pergo. Docuit ille exemplo suo,  
 3219. quàm verum sit illud Poëtæ,

*non census, nec clarum nomen avorum,*

*Sed probitas magnos ingeniumque facit.*

*Cicero*  
*in Sal.*  
*lust.*

*UValterus* enim Episcopus tenuis familiæ fuit, &  
 plebeia originis: sed ostendit in eo Deus, genero-  
 so animo, ex quacunque conditione, per virtu-  
 tem licere surgere. *Ego meis maioribus virtute praluxi*  
 (dicebat ille) *ut si prius ignoti fuerint, à me accipiant ini-*  
*tium memoriae suæ: veriùs hoc UValterus dixerit, cui*  
 fatiùs

fatiùs fuit rebus per se gestis florere, quàm niti  
 opinione maiorum: & sic viuere, vt ipse esset fa-  
 miliae suæ nobilitatis initium & virtutis exem-  
 plum. Nec poterat vir ille nisi magna facere;  
 cùm, vt ipse profitetur, à tenerâ ætate in sinu Ec-  
 clesiæ Tornacensis fuerit enutritus. Et refero,  
 quod ei puero accidit, futuræ magnitudinis præ-  
 sagium. Erat ei pater civis Tornacensis, opificio  
 cerdo siue sutor veteramentarius: pius tamen  
 ac in filij educatione sedulus. Curarat eum ad-  
 scribi in numerum illorum Clericorum, quos  
 Tornaci vocant primitiuos. Et quia Parochiæ S.  
 Brixij erat, à quâ ad Ecclesiam maiorem S. Marię  
 satis prolixa via est, si contigerat ob pluuiarum  
 inundantiam publicos canales excreuisse, ac par-  
 uulo VValtero ad Ecclesiam properanti facere  
 impedimentum; consueuerat eum Pater humeris  
 suis transuehere, & ad Ecclesiam vsque comitari.  
 Viderat hoc frequentius pistor quid am; ac se-  
 mel per risum: Quam tu bone pater (inquit) in  
 filio isto laboras? An speras quandoque futurum  
 Episcopum? Omninò, respondit pater. nimirum  
 nesciens prophetabat. Ad hæc pistor: vbi res eue-  
 nerit, ego omnem panem, sollemni cõuiuio Epis-  
 copali necessarium, de meo spondeo. Non fue-  
 runt hæc vana. nam & pater filium Episcopum  
 habuit,

habuit, & pistor panem obtulit. Sensit eius auctoritatem mox ut cœpit administrare, Euerardus Tornacensis Castellanus, ut vocant, & altos suos spiritus, quos contra Ecclesię iurisdictionem attollebat, humili V Valtero submitit. Eius opera sunt, monasterium Monialium S. Victoris de V Vaesemunstre, iuxta Tenera-mondam: monasterium Dominarum in Pratis Tornacensibus: Monasterium Fratrum Minorum Tornaci: Beguinagium: Collegium Studiosorum, vulgò Bonorum puerorum: Collegium senum Presbyterorum, in quo Presbyteri senio & pastoralibus aut alijs Ecclesiasticis functionibus fatigati, sub honestissimâ sustentatione respirant. opus, quod meritò aliarum Diœcesium Episcopi sibi sumant imitandum. *V Valterus de Cruce* sicut decessoris nomen ita quoque tenuit pietatem. Testantur ornamenta magnæ æstimationis, quæ pro ampliando cultu Dei & eius domus decore reliquit. Aemulatus est eos *Johannes Buchianus*. Verè de numero eorum, qui dixerunt patri & matri, nescio vos: quando proprium parentem Ecclesię iurisdictionem turbantem, à fidelium communi-  
 one excommunicationis ferro præcidit. meritò de eo dixeris, quod Moyses olim ad Leuitas,  
 Consecratis hodie manus vestras Domino, unusquisque (in

Anno  
1551.

Deut. 32

Exod. 32

(in patre) & fratre, & filio. Huius generositatem æquavit aut veriùs superavit, qui secutus *Johannes Anghianus*, egregius defensor bonorum Ecclesiasticorum. quem ob multa in Ecclesiam merita, *Gregorius X.* transtulit ad cathedram Leodiensem. In quâ zelum suum non remisit, sed auxit: obediens voci dominicæ, qua ei dicebatur, *Esto fidelis usque ad mortem*. Nam constantiam suam etiam morte consignavit. mortuus in monasterio *Heylich-hemeinsi* Ordinis nostri *Præmonst.* postquam factio *Henrici* decessoris sui, ac ob indignam vitam amoti, eum violenter abreptum equo imposuerat. qui, tum ob sellæ arctitudinem, tum ob frequentes agitationes & concussiones, animam ei excussit. Vocat eum *Chapeauville*, virum piûm & sanctum. Subrogatus ei fuerat in Sede *Tornacensi* *Philippus Mensius*. Sub quo videre fuit Ecclesiæ *Tornacensis* auctoritatem, quando non licuit Regi *Franciæ* *Tornaci* cudere auream monetam, nisi de eius consensu. Commendat eum *Aegidius Abbas Tornacen.* ab eruditione & prudentia. Quæ duo etiam in *Michaële VVaerenge* mio fuere. De quo idem *Aegidius*, defendit iura *Episcopatus sui*, plusquam cæteri prædecessores. Legavit *Episcopis* succelloribus domum à se *Parisijs* emptam, quam *Collegium Tornacense* vocarunt. Non

Anno

1267.

Apo. 9.

Anno

1285

Tomo 2.

Chron.

Leod.

Anno

1274.

Philip-

pus ô

pulsbro.

Anno

1282.

degeneravit, qui secutus est *Iohannes VVafonnius*. Cuius opus est, nobile S. Ludouici in Ecclesiâ Cathedrali facellum. Habuerunt eum Canonici Ardenburgenses sui Collegij fundatorem: quod per errorem quidam VVaerenghemio tribuerunt. Commendauit *Guidonem Boloniensem*, morum & conuersationis suauitas: quæ eum à Tornacensi in Sedem Cameracensem euexit; ac inde in S. E. R. Cardinalem, & Archiepiscopum Lugdunensem. Auxit eius tempore ciuitatem Tornacensem Deus nouâ benedictione, missis eò PP. Eremitis S. Augustini. Secutus est *Guilielmus Ventadour, affabilis, benignus, pius: Ecclesiam die ac nocte frequentans*. Venio ad *Andream Florentinum*, qui primùm Regi Franco à Consilijs, dein Episcopus Atrebatensis, postea Tornacensis, ac postremò Cardinalis tit. S. Sufannæ: vir fuit magnarum virtutum. Testis est mihi, magnus, quem in eum congersit S. A. cumulus dignitatum. Debent ei Tornacenses sui nominis in Italiâ celebritatem. neque enim magnus ille Episcopus, memoriam eorum Romam vocatus, & Cardinalis factus, deposuerat; sed ut eam restatam faceret, in Academiâ Paduanâ Collegium Iuris-consultorum ædificauit, quod S. Mariæ Tornacensis diceretur. Subrogatus ei fuit *Iohannes à Prato*, cuius regimen religiosum vocat

Abbas

Anno  
1308.

Anno  
1327.  
Abbas  
Ægid.  
Anno  
1334.

Anno  
1343.

Abbas Aegidius . Habuisse eum in Dei-param adfectum singularem declarant, quæ de Missa quotidianâ ad altare nomini eius dedicatum faciendâ, laudibus solemniter canendis, in Sabbathis ac vigilijs festorum eiusdem Dei-paræ piè decreuit. *Petrum Forrestam* prætereo, quia vix vlllo tempore in Cathedra Tornacensi sedit, mox vocatus ad Episcopatum Parisiensem, ac deinde Archiepiscopatum Rothomagensem. Venio ad *Petrum Arbosum*. Hic quæ pro cultu & honore Dei-paræ Iohannes à prato decreuerat, additis <sup>Anno 1350.</sup> nouis institutionibus, auxit. Fuit que erga Clerum suum munificus, donatis ei M. CCC. florenis aureis, vt suppeteret pecunia, qua per hebdomadas singulas Clericis beneficiarijs sua stipédia redderentur, nec vltra cogerentur illud in anni exitum expectare. Ecclesiam S. Donatiani Brugis auxit vnâ præbendâ. Carthusianorum monasterium iuxta Toanacum ita ampliter dotauit, vt aliqui eum loci illius vocent fundatorem. Arbosij ciuitate sibi natali Collegium 12. Canoniorum erexit. *Vir laudatæ vitæ* (inquit Meyerus) *plurimumque ædium sacrarum auctor*. Et licet post eius in cælum decessum Ecclesiam Tornacensem turbarint, primùm Schisma Ecclesiæ, deinde Regum Franciæ & Ducum Burgundiæ dissidia, ac denique exortæ hæreses:



hæreses : nunquam tamen passus est Deus in Ecclesia Tornacensi deesse Episcopum excellentem; ut videatur ad eam quoque pertinere illud Sapientis, *Non extinguetur in nocte lucerna eius*. Fuit in illis turbis electus *Petrus d' Auxy*. Eiusque probitati sufficiens testimonium Tornacenses dederunt, quando in eius læto introitu, exulibus omnibus, anno toto, ciuitatem permiserunt. Subrogatus est ei defuncto *Ludovicus Trimoillius*: cuius tempora ob Ecclesiæ schisma fuere turbulentissima, nec schismate sublato cessauit quassatio. subiit aliud non minùs malum, odium plusquam Vatinianū inter Aurelianensem & Burgundum; infinitarum calamitatum, tam Franciæ quam Flandris, & Tornacesio (nec enim illud tunc sub Flandris erat sed prouincia libera) seminarium. Vnde non poterant magna ingenia magnum aliquid conari, aut saltem non plus quam conari; ob iniquitatem temporum. Secesserat hac de causa bonus ille Episcopus Parisios, vbi & mortuus est. Successit ei *Iohannes de Thoisy*. Vir magni consilij, atque ea de causa Ducibus Burgundiæ charus, cuius opera in rebus publicis & maximè arduis vsi. Vnde fecit eum Philippus Bonus sibi Cancellarium ac sui Consilij Præsidem. Rariùs licuit ei Tornaci agere, ob continuas turbulenti vulgi seditiones & dissidia.

*Prom 51*

*Anno 1378.*

*Anno 1390.*

*Anno 1418.*

dissidia. Legauit Ecclesiæ suæ statuam Dei paræ  
 argenteam, pondere 18. marc. atque magni pre-  
 cij ex panno aureo Pluuiale. Eo defuncto adflixit  
 Ecclesiam Tornacensem noua plaga. Francus  
 nominabat successorem *Iohannem de Haricourt*, E-  
 piscopum Ambianensem, Burgundus contra *Ni-  
 colaum Cheuerot*, sibi à consilijs, & Archidiaconum  
 in Ecclesia Rothomagensi. Eugenius Papa IIII.  
 ratam habuit Regis Franciæ nominationem.  
 Vndè Haricourtius accepta Pontificis confirma-  
 tione, inijt Episcopatus Tornacensis possessio-  
 nem. Displicuit hoc Burgundo: vndè quidquid <sup>Anno</sup>  
 possessionum mensa Episcopalis extra Torna- <sup>1433.</sup>  
 cum in ditionibus Ducis habebat, fisco applica-  
 tum. Coëgerunt hæc Haricourtium Tornaci se  
 continere, ac tenuiter viuere: virum alioquin bo-  
 num, & ob virtutes Tornacensibus gratum.  
 Tandem euectus in Archiepiscopum Narbonen-  
 sem, celsit *Cheuerotio*. Fuit hic Duci Burgundiæ à <sup>Anno</sup>  
 consilijs, & magnæ apud eum æstimationis: ho- <sup>1437.</sup>  
 noratus ab eo nobili legatione, qua nomine Prin-  
 cipis sui, Duci Aurelianensi societatem Ordinis  
*Aurei Velleris* præsentauit. Fuerunt per eum reli-  
 quæ S. Piatî Tornacensium Apostoli, Seclinio  
 Tornacum translata, sollemni pompa, ac sum-  
 ma Cleri populique religione. Fuit in Ecclesiam  
 \*\*\* munificus,

munificus, quæ ex eius donatione habuit Statuam argenteam S. Iohannis Apost. pondere 22. marc. Quinque cappas pluuiiales, Casulam, Dalmaticas duas; omnes ex panno aureo: Crucem magni precij. Auxit præterea nouo ædificio Palatium Episcopale. Denique legauit Episcopo successori (certâ tamen conditione) domum, quam de suo Insulis ædificarat.

Anno  
1461.

Fuit hic *Guilmus Fillastrius*, repugnante licet Gallo, & conante Ecclesiæ Tornacensi præficere Cardinalem Constantiensem. Subijt Fillastrius initio sui Episcopatus honorificam legationem ad Pium II. impetraturus relaxationem voti, quod de personali contra Turcam profectioe Dux Burgundiæ fecerat. Interfuit quoque sollemnitati *Aurei Velleris*, quam, defuncto patre, Brugis habuit Carolus Burgundus. In quâ, tamquam Ordinis illius Cancellarius, pro concione docuit causas, ob quas hic ordo institutus. & breuiter eas exprimit Philippi Boni, qui instituit, epitaphium.

Philip-  
pus Bo-  
nus.

*Tuta à nobilibus quo Ecclesia firmior esset,  
Nobilis inuentus Velleris ordo mihi est*

Anno  
1474.

Habuit Fillastrius successorem *Ferricum Cluniacensem*. Qui pertæsus calamitatum, quæ mortem Caroli Pugnacis secutæ sunt, secessit Romam; meruitque virtutibus suis à Sixto IV. in Collegium Cardi-

Cardi-

Cardinalium adoptari. Non fuit tamen oblitus Ecclesiæ suæ. Donauit ei (auctore Gazæo) statuam Dei-paræ argenteam deauratam & gemmis diuitem, pōdere 80. marc. Addidit prætereà, Cap-pam pluuialem, Planetam, Tunicas siue Dalma-ticas, altaris anti-pendium; singula ex telâ filis au-reis contextâ.

Post mortem huius, caruit Ecclesia Tornacen-sis præsentia sui Pastoris annis pluribus, eò quòd collatio eis facta, qui degebant Romæ: per vica-rios suffraganeos Episcopatum suum administrâ-tes. Fuerunt hi duo, *Johannes Monisæart*, & *Antoniot-tas Palamicinus* Cardinalis, tit. S. Anast. qui, curante Philippo Austriaco, & consentiente Pontifice, E-piscopatum resignauit *Petro Kuickio*, Abbati S. A-mandi, sed non licuit huic, Tornacum accedere, quòd Francus alium intrusisset: sed egit ijs parti-bus suæ Diœcesis, quæ Austriaco parebant. Do-nec tandem inter *Kuickium* & *Carolus de Hautbois* est concordatum, cœpitque *Carolus* sedere anno Domini M. D. VI. Pietatem suam testatam fecit Anno  
1506. institutione Missæ sollemnis in memoriam Ven. Sacramenti, celebrandæ prima feria quinta singu-lorum mensium. Item, institutione Missæ quoti-dianæ in sacello Deiparæ, quod dicitur S. Mariæ Flandrorum. Sollicitudinem verò suam pro pace Ecclesiæ

Anno  
1513.

Ecclesiæ sibi creditæ declarauit, quando ei de successore per resignationem maturè prouidit. Experimento enim didicerat quantum incommodorum Ecclesia illa, in noua, Episcoporum electione pertulerat, ob Principum dissidia. Successit ergo ei per legitimam resignationem *Ludovicus Guiltartius*, qui & ipse mox resignauit in *Carolus de Croy*. Huic debet Ecclesia Tornacensis istud beneficij quod in ea administranda elegerit sibi Vicarium, egregium & insignis zeli. Croyus enim iuuenis erat quando in Episcopum euectus. Vnde aliquamdiu in Italia, præsertim Romæ hæsit. Ac reuersus in Belgium, in monasterijs, quæ sibi commendata administrabat, frequentius morabatur; gubernante interim Episcopatum Tornacensem in qualitate Vicarij generalis *Guilberto D'Oignies*, qui & ei successit. Homo fuit in ea tēpora natus, quando se diffundens hæresis, Ecclesiæ Catholicæ visa est minari exterminium. Sed minari tantum, quia nec *portæ inferi praualebunt aduersus eam*. Porro in Guilberto, non tantum generis nobilitas, & illustris tam pace quam bello progenies: sed, quod suprâ hæc omnia, animus longè supra vulgum, & qui nisi magna cogitaret. Ac quia disciplinæ Ecclesiasticæ neruus est Canonum obseruantia, administrationem suam ab executione Decretorum Cōcilij

Anno  
1565.

cilij Tridentini orditus est. Vfus in re difficillimâ  
 prudentissimo confilio, quando in Clerum adle-  
 git *viros potentes & timentes Deum, in quibus erat veri-* Exod. 18  
*tas, & qui oderant auaritiâ.* Adfectum suum in  
 Dei-param declarauit, quando, quod aliqui de-  
 cessorum suorum de canendis certis diebus ad al-  
 tare eius laudibus piè decreuerant, id ipse per sin-  
 gulos dies fieri instituit. Ex eius quoque Decreto  
 festum nominis IESV, quod Clemens vii. appro-  
 barat, cœpit in Ecclesiâ Tornacensi celebrari.  
 Non potuit tamen (Christo dormiēte in nauicu-  
 lâ, & tempestates non duraturas dissimulante) hæ-  
 reticorum rabiem peruincere; sed passæ sunt Ci-  
 uitatis Tornacensis Ecclesiæ, sicut & pleræque  
 Belgij, quod phanaticus Iconoclastarum furor  
 dictabat. Compensauit nihilominus aliquo vsque  
 boni Episcopi munificentia hanc iacturam, do-  
 natis Ecclesiæ magni precij ornamentis. Non se-  
 gnior eo fuit *Petrus Pintaflorus*, quamuis ætate iam Anno  
 fatifcente ad onus hoc adsumptus. Fuit admini- 1571.  
 stratio eius difficillima & plena molestiarum ob-  
 turbas Belgicas. Ac licet viderentur res Tornacen-  
 ses tendere in interitum, nunquam tamen bonus  
 Pastor ciuitatem deseruit. Conatus est, quauis viâ,  
 suprâ ætatis ferè vires, ciuem catholicum ad pieta-  
 tem excitare. Deditque ille memorabile satis, eius

\*\*\* 3 hoc

hoc indicium : quādo pro conciliandā sibi è cœlo misericordiâ, Deo & Dei paræ fascem cereorū in se globatim reflexorum obtulit, ea longitudine, quā ciuitatis ambitum æquaret. Erant eius tempore exactionum onera grauiā, ita vt coactus fuerit Episcopus, toto medio anno, per hebdomadas singulas, centum libras Paris. muniendæ ciuitati pendere. Taceo annonæ caritatem, & innumera dispendia, quæ bellis ciuilibus & intestinis nemo non sentit. Nunquam tamen consueta eleemosynas remisit; quamuis in eis esset largissimus. Addidit & pia legata. Prouentus nimirum, ex quibus institutæ bursæ, vt vocant, alendis quatuor studiosis, in Theologia, Philosophia, aut Iure. Parem prouentum legauit quatuor pauperibus mechanicis, vt eo iuuarentur, donec artem discerent. Parem item, in annuas communes eleemosynas. Successorem habuit *Maximilianum Morillon*. Virum magnæ prudentiæ & experientiæ diu exercitata; qui adflictæ & turbatæ Belgicæ, suo consilio frequenter utilis fuit. Secutus est eum *Iohannes Vendenillus*. In quo hæreo: neq; enim pullus aquilæ ego sum, vt aspiciam in hunc solem. Reuera enim, *quasi sol refulgens, sic iste refulsit in templo Dei*. Dicā tamen quæ potuero. Ac primū, eminuit in eo eruditio. Ob hanc, Rex Catholicus, eum Louanio in

Anno  
1583.

Anno  
15.

Eccli. 50.

in Academiam Duacensem à se recens erectam, vocavit: daturum lectioni Iuris principium & facem. Dum agit in hac functione, ob fidem Deo & Regi suo inuolabiliter seruata, persecutionem & exilium passus. Quæ magnus hic vir non dispendia æstimauit, sed lucra. Adlectus deinde est in Regis consilium priuatum. In quo, nemo eo, publico bono consuluit incorruptius: nemo Regem de negotijs Belgicæ instruxit syncerius. Hanc ob causam, adsumpta ei est profectio tum Romam ad suam Sanctitatem, tum in Hispanias ad Regem Catholicum.

Euecto denique in Episcopatum virtutes adcreuerunt cum dignitate. Ac primùm, vt iuxta Apostolum, *iudicium inciperet à domo Dei*, habitâ Synodo, Parochis discipulis, aut ignaris, aut alia ex causa ad pastorale munus ineptis, suasit spontè cedere. si non facerent, amouit inuitos. Visitauit Diocesim diligentissimè; ac primo administrationis suę anno, Sacramentum Confirmationis contulit personis ad millia sexaginta: viris octogenarijs aut etiam nonagenarijs flentibus præ gaudio, quòd in Parochiâ suâ Episcopum viderent, quem ab hominum memoria nemo ibi viderat. Eo monente & curante, erectum Collegium Patribus Societatis, Insulis: Seminaria Pastorum  
tam



tam Louanij quam Duaci per Regem Catholicum: Collegia exteris nationibus, præsertim Anglis, Scotis, Hibernis, per eundem. Mensa fuit parcissimâ, cum esset in pauperes profusissimus. Domum cum horto, quam præclaræ mem. Episcopus d' Ognies legauerat successoribus, donauit PP. Capucinis, fundando ibi monasterio. Ieiunabat ferijs sextis anno toto: in Aduentu ter per hebdomadam. Et cùm plures soleant diem anniuersariam suæ consecrationis, festiuo conuiuio celebrare; hoc ipse non fecit, sed diem præcedentem in ieiunio ac alijs pietatis exercitijs transigebat. Quod ipsum faciebat in vigiliâ Circumcisionis & Epiphaniæ: quia altero illorum festorum sacerdos ordinatus, altero primitias Deo obtulisset. Existens Episcopus bis profectus est Romam, licet ætate iam prouectâ; acturus cùm sua Sâctitate nõ tantùm pro suæ Dicecesis utilitate, sed totius Ecclesiæ Catholicæ. Nulli in palatio eius tapetes, nulla aulæa. Parietes ornabant, aut Tabulæ Geographicæ, aut inscriptæ selectiores sententiæ. Qualis ista ex Tridentino, *Sit Episcopi suppellex & mensa modesta, victus frugalis.* Equos non aluit nisi tres. Canes nullos. Atque vt conditionis humanæ iugiter recordaretur, habebat in secretiore suo cubiculo appensa nomina amicorum & familiarium vitâ functorum.

functorum. Quæ intuens, tacitus sibi loquebatur.  
Vixerunt illi, *Vendeuills*, vixerunt, & abierunt; abi-  
bis & ipse quoque,

*Sic nihil hic orbis quod perennet possidet.*

Et abiuit. Imò non abiuit:

*Nunc magnus celo, magnus ut ante solo.*

Successit ei in administratione *Ludovicus Barlai-  
montius* Archiepiscopus Cameracensis, quem  
D. de Balaigni, à sua ciuitate, occupato nomine  
Gallorum Cameraco, cogebat exulare.

Postquam verò sedi suæ restitutus est, nomi-  
nauit Rex Catholicus in Episcopum Tornacen-  
censem *Michaëlem d'Esne*, Dominum de Beten-  
court. Fuit eius salubris constitutio, edita de con-  
silio Tuæ R. P. ac RR. DD. Capitularium, quâ  
iniunctum singulis Concionatoribus, è suggestu  
populum monere, de frequentandâ Ecclesia sua  
Parochiali: obligari enim quemlibet in ea audire  
verbum Dei, si commodè potest. Quam consti-  
tutionem optarem vbiq; esse in viridi obseruan-  
tia. Præter cæteras virtutes, quæ in Michaële plu-  
res fuere, hoc habuit eximium; quòd Ecclesiæ suæ  
beneficia & officia viris commisit laudatissimis, à  
quo proposito, non eum priuatus amor, non fa-  
uor sanguinis, non importunitates nobilium, non  
metus potentium, vnquam potuerunt abducere.

\*\*\*\*

De

Anno  
1597.

Anno  
1613.

4. Sept.

De Reuerendissimo Episcopo, qui iam feliciter præsi-  
det, nihil dico; ne impingam in legem Sapientis,  
quâ mihi dicitur, *non laudes hominem in vitâ suâ*. Nô  
deerunt, qui eum laudent post mortem, magnifi-  
cent post consummationem. Et si verum est, quia

*Fortes creantur fortibus,*

nihil nisi magnum spirare potest auitus ille *Raf-  
senghemiorum* vigor.

Texui R. Pater, ferè omnium Episcoporum  
Tornacensium seriem, ac summatim delibavi  
quædam de eorum factis. Secutus fui, tum histo-  
riam R. D. Iohannis Cognati Tornacensis Cano-  
nici, tum R. D. Guilielmi Gazæ Canonici Aë-  
riensis. Hic autem mihi finis fuit, ad oculum  
monstrare, nullum ferè in Ecclesia Tornacensi se-  
disse Episcopum, qui non aut omnibus virtuti-  
bus, aut pluribus, aut saltem aliquibus emineret:  
deinde, à veritate non adulatione me suprâ dixif-  
se, semper in ea Ecclesia fuisse qui priscos illos E-  
piscopos referrent. Fateor, fuerunt duo vel tres re-  
probi: sed in ijs quoque eluxit diuinę prouidentię  
erga Ecclesiam Tornacensem cura, quando ne-  
mo eorum permissus est durare. Fuit Theodorus  
in ipsa adhuc illius Ecclesię infantia, superbus, tu-  
midus, ambitiosus: sed mox fulmine percussus  
abiit in fauillam. docens illo suo interitu, quàm  
malè

*Circa  
annus  
Domini  
684.*

malè non audierat sibi dici, *Quid superbis terra & ci-*  
*nis?* Fuit Fulcharius simoniacus, vitæ flagitiosæ, <sup>Arta</sup>  
 & substantiæ Ecclesiasticæ dissipator. Sed non to- <sup>974</sup>  
 leravit Dei para, patrimonium suum in ganeo-  
 nes & adutores abliguriri. Apparuit ei ruptâ ve-  
 ste, pallsis capillis, ac facie miserabili; accusans a-  
 pud filium Fulcharium, de infinitis in se iniurijs.  
 Cumque ille vellet excusare, & diceret: nihil con-  
 tumeliosum se vnquam in Dei matrem cogitasse;  
 Fecisti, inquit illa. Toties mihi per contumeliam  
 vestem lacerans, quoties possessiones seruorum  
 meorum luxuriosè dissipasti. Qui mox morbo  
 correptus, & à vermibus corrosus toto corpore ei  
 scaturientibus, miserè interijt. *Magnum exemplum* <sup>anno</sup>  
*puniti ambitus & simoniae.* Fuit præterea Robertus <sup>1193.</sup>  
 Præpositus Aëriensis, Ecclesiæ Tornacensis ad-  
 ministrator. Et quidem laudat eum Gazæus, ac  
 imaginarias eius virtutes refert vt veras. Sed ma-  
 gis credendum est Antonino & Hannoniæ an-  
 nalibus, quos refert R. D. Iohannes Cognatus, ex  
 quorum testimonio, Robertus pravi ingenij fuit,  
 qui non tantùm simoniacis largitionibus, sed &  
 magicis artibus fauorem Principum sibi conci-  
 liarit; qui eum in tot dignitatum fastigia euexe-  
 rint. Et sanè virós principes, pluribus simul bene-  
 ficijs Ecclesiasticis gaudere non tantum tolerabile  
 est,

\*\*\*\* 2

est,

est, sed & quandoque consultum: at Robertum hunc fecisse, hominē plebeium ac è terra natum, euidenter ambitiosum est. Et, quod mireris, non legitur hic tot beneficiorum helluo, aut in subsidia pauperum, aut in stipendia Clericorum, aut in solatia Monachorum, aut in Ecclesiarum ornatum aliquid legasse vel instituisse; cū fuerit Præpositus Aëriensis, Præpositus S. Donatiani Brugis ac Flandriæ Cancellarius, Præpositus Audomarensis, Præpositus S. Amati Duaci, Thesaurarius Turonensis, Administrator Episcopatus Tornacensis & Atrebatensis, designatus Episcopus Cameracensis. Cuius Ecclesiæ possessionem dum cogitat inire, *ab eodem suo patrono & demone familiari deceptus, procurante quodam nobilimilite (Iacobo Auesnenti) à ribaldis occisus est.* nec enim frustra scriptum est, *quod laus impiorum breuis sit & gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Sed excutio manus meas ab hoc cæno, & venio ad alia Ecclesiæ Tornacensis decora.

*Anton.  
hist p. 2.  
tit. 17.  
c. 9 §. 3.  
Iob 20.*

Si enim habuit cælum illud Soles suos, habuit & Sidera & si ibi fuerunt Patres, *virī misericordiæ;* fuerunt & filij, *quorum pietates non defuerunt.* Atque ex copiosâ virorum illustrium congerie, primū statuo *Odonem*, Scholasticum Ecclesiæ Tornacensis, non Aurelianensis, quod per inaduertentiam scripsit

scripsit Valerius Andreas. Fuit hic monasterio S. Martini restaurato primus Abbas datus per Ratbonem Episcopum; ac inde in Episcopum Cameracensem vocatus est. Coactus tamen exulare, quòd nollet inuestituram per anulum & virgam ab Henrico IV. Imp. accipere, *ac laicis ius sacerdotale substernere*. Testantur eius eruditionem libri per eum editi, qui & hodie extant. Habuit ex Canonicis sibi fratribus & discipulis plures sui propositi sectatores: qui primùm sub eius disciplinâ formati, deinde etiam alijs præesse meruerunt. Ex his fuit Amandus Abbas & reformator Marchianensis, Valterus Abbas S. Martini Catalauni, & alij. Nec prætereundus mihi *Alulphus* est, qui & ipse è Clerico Tornacensi, sub magisterio Odonis, institutum monasticum amplexatus est. In quo præter eruditionem & studium accuratum, fuit quoque rari exempli constantia. Quid enim non tentavit pater, quo eum ab hoc sancto proposito reuocaret? minatus est? sed irrisit: inflixit verbera? tolerauit: calcavit pedibus? at ipse animo, ipsum qui calcabat: abduxit vi, vinculisque innoxuit? sed nouus hic Sampson, *rupit vincula quasi fila telarum, cãtanque, Dirupisti Domine vincula mea*, in monasterium reuolauit. Et vis scire spectaculi huius catastrophem? Ipse pater, qui filium monachum

\*\*\*\* 3

nachum

Aertull.  
de habit.  
mul.  
Zuseb in  
Chron.  
anno  
1145.

nachum persequebatur, monachus effectus est. Extant istius Alulphi, elegancia ex D. Gregorio in Nouum Testamentum collectanea. Non fuit eo inferior Canonicus *Henricus*, alter Tornacensibus Esdras. Nam vt ille (loquor de Esdra, ex probabili opinione) *omne instrumentum Iudaica litteraturæ reparauit*, ac *diuinas Scripturas memoriter reddidit*: ita *Henricus* deperditam, communi illo quod Noortmanni excitarāt totius ferè Occidentis incendio, historiam memoriter reddidit, ac diuinitus inspiratus reparauit. Ex cuius testimonio prætereà habemus, *Gerardum* Ecclesiæ Tornacensis Eleemosynarium, inter Sanctos esse censendum: neque enim si Sanctus non esset, cum SS. Eleutherio, Eligio, Achario, apparuisset. Addo huic *Henrico* *Guerricum* Igniacensem, ex Tornacensi Scholastico Igniaci Abbatem. Fuit (inquit Trithemius) *ingenio facilis, eloquio dulcis & compositus*. Iungo his *Henricum* cognomento *Gandensem*, Ecclesiæ Tornacensis Archidiaconum, & Tornaci (vt est vero similis) natum. Nec enim quidquam contrà probat, quod Gandensis dictus sit: non magis (si licet

*magnis componere parua)*

quàm si quis contendat *Carolus V.* non Gandani sed in *Austriâ* natum, quod dictus sit *Carolus Austriacus*.

## DEDICATORIA.

31

Austriacus. Fuit porrò Henricus à doctrinâ ita ce-  
bris, vt Doctor sollemnis passim vocaretur. Et  
quia scientia, si sola est, inflat; iunxit ei ædifican-  
tem charitatem: & fuit eius opus maior pars Be-  
guinagij Tornaci. Nec ipse solus in eâ liberalitate.  
Audeo enim dicere, abundare quidem Tornacum  
pijs locis: esse in eo tam virorum quàm mulie-  
rum Monasteria, Nosocomia, Xenodochia, Or-  
phanotrophia, Gerontocomia, Pædotrophia, Cœ-  
notrophia. Sed horum omnium nescio an ali-  
quod sit, quod ab aliquo Ecclesiæ Tornacensis  
alumno, non sit aut fundatum, aut dotatum. Mo-  
nasterium S. Martini primus fundauit Episcopus  
Eligius, ac restaurare iuuuit Episcopus Ratbodus.  
Ecclesiã S. Medardi Canonici Tornacenses cesse-  
runt ijs Religiosis, qui vsque hodie S. Medardi  
dicuntur. Patres Minoritæ sui monasterij aucto-  
rem habuerunt VValterum Maruisensem, vt  
dixi: Patres Capucini VVendeuillium: Patres So-  
cietatis sui Collegij initium & progressum debent  
Iohanni Liebartio, Tornacensi Canonico & Can-  
cellario. Nosocomium maius S. Mariæ Marcel-  
lus & Godulphus Canonici Tornacenses insti-  
tuerunt: Simon du Portail Xenodochium S. Eleu-  
therij: Laurentius ab Hollandia domum Cæco-  
rum & Herniosorum: Iacobus Laurentij S. An-  
dræ



dreæ Gerontocomium. Orphanotrophium dota-  
uit Iohannes Liebartius. Nec silebo præclaros e-  
ruditione & eloquentiâ nostro sæculo viros , D.  
Cotereau , & D. Coretum : quorum ille quid  
non fecit, quando Tornacum turbarant hæreti-  
ci, & rebellium miles occuparat , vt Nouatores  
coërceret, Catholicos concionibus firmaret, ac  
ciues Regi suo conciliaret? Coretus verò nihilo  
segnior, siue religio esset propugnanda, siue hære-  
sis expugnanda, siue politicismo detrahenda lar-  
ua, siue mores emendandi. Neuter vel mortuus  
desijt publico prodesse; primus Concionibus, al-  
ter edito Anti-politico. Addo his Dionysium  
Villerium, virum omnis antiquitatis guarum, at-  
que ob id magno Lipsio familiarem; ac litteris  
eius orbi notum. Plures taceo, quos spero etiam-  
num viuere, à quorum laudibus Sapientis lege iu-  
beor abstinere. Dissimulo quoque spectatam  
Cleri illius in suam Ecclesiam religionem: me e-  
nim tacente lapides loquantur, & quæ quisque  
pro priuato suo in Dei cultum adfectu, fieri cu-  
rauit. Frequentia sacella, columnæ, statux; ex  
lapide pario, porphyretico, marmore. Addo in-  
gentia candelabra, & coronas æreas: ex quibus tot  
radiant luminaria vt noctem conuertant in  
diem,

*Et ipsa*

*Uipsa dies caelesti illustris honore*

*Plus micet, innumeris lucem geminata lucernis.*

Prætereo amplissimam eiusdem Cleri congregati faciem; in quâ gravitas honesta, & diligentia attonita, & cura sollicita, & adlectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & subiectio religiosa, & apparitio deuota, & processio modesta, & Ecclesia unita, & Dei omnia. Legati Pyrrhi Regis Capitolium ingressi obstupuerunt ad aspectum Romanorum Senatorum: ac Regi suo retulerunt, tot ibi sibi vivos Reges, quot Senatores. Sanè aliquid tale accidit intuentibus Ecclesiæ Tornacensis chorum. Tantus ibi in confessibus ordo, in vultibus disciplina, in incessibus verecundia, in ceremonijs maiestas. Nihil enim videre est in hâc Sulamite nisi choros *Castroꝝ*.

Taceo innumera & annua subsidia, studiosis tenuioribus sustentandis destinata; Tornaci, Louanij, Duaci, & alibi. Nec possit quis exprimere, quot illustria ingenia debeat Clero Tornacensi Respublica Christiana; quæ generosorum spirituum suffocatrix pauperies, coëgisset sub modio delitescere, nisi hic pecuniâ & alijs medijs iuuisset. Nihil dicam, Reuerende Pater, de tuâ liberalitate, Tornaci, Louanij, Duaci, publicè notâ; nihil, inquam, dicam. Expertus enim sum, te ad tuas lau-

\*\*\*\*\*

des

des non tantum erubescere, sed & indignari. Hoc tamen non fateri non possum, me eam abunde sensisse, ac ei debere, omne ferè quod didici. Unde in testimonium grati animi, nomini tuo hunc meum laborem inscribo: sperans Te eo anim & vultus candore eum accepturum, quo semper me fouisti. Vale Reuerende in Christo Pater ac Domine. Deum rogo, vt Te Ecclesiæ suæ diu seruet incolumem, donetque Tibi benedictionem ASER, vt sit, sicut dies iuuentutis tuæ, ita & senectus tua. Ex monasterio S. Mariæ de Tongerlo, 6. Aprilis, 1626.

*Tua Reuerenda in Christo Paternitatis  
humilis in Christo Seruus*

F. Laurentius Landtmeter.

INDEX

# INDEX CAPITVM.

## LIBRI PRIMI

### PARS PRIMA.

- C**AP. I. De nomine Clerici. & quid distet inter Clericum & Canonicum. pag. 5.
- C**AP. II. Habere omnium gentium morem, ut qui Sacris presunt, peculiariter vestiantur. pag. 7.
- Cap. III. Fuisse veteres capite intecto. si quadam tempora excipias: & quando coeperit vsus Pilleorum. 9.
- Cap. IV. Diluuntur obiectiones, contra nuda veterum capita. 13.
- Cap. V. Non satis constare quando in Clero coeperit vsus Pilleorum quadratorum. 16.
- Cap. VI. Indecorum viro comam alere. notabile super ea re Gottefridi Episcopi factum. 18.
- Cap. VII. Rationes plures hic adlegata Corona Clericalis, ac data satisfactio quibusdam dubitariunculis. 20.
- Cap. VIII. Non fuisse veteribus in vsu rasuram. & quid de veterum barba? 29.
- Cap. IX. Coronam Clericalem, sicut & alios Ecclesie ritus Demonem amulatum. Satis sit obiectioni. 32.
- Cap. X. Non fuerunt omnes veteres Christiani palliati. sed vsi veste cum Gentilibus indiscretâ. 40.
- Cap. XI. Quis veterum Clericorum habitus. 42.
- Cap. XII. Quid Byrrhus. varia vocis illius interpretationes. 45.
- Cap. XIII. Digressio de habitu aut veste S. Augustini. & responsum motis contra eam obiectionibus. 49.
- Cap. XIV. Non tantum Clericos S. Augustini, sed & alios fuisse in lineâ & byrrho. 68.
- Cap. XV. Varia descripta calceamenta, ac calceamentorum varietates. Ff 2

I N D E X

<i>tes: quid Crotalum, Crotalia,</i>	69.
Cap. XVI. <i>Christus calceatus incesit, aut saltem Sandalijs usus. Satis sit rationibus contra adlati. quid Gallica.</i>	73.
Cap. XVII. <i>Seuiores quidam Nudipedes.</i>	79.
Cap. XVIII. <i>Clericis Romanis fuit peculiare calceamentum, quaedamque alia ornamenta. Quid Compages. Vdones. Mappula. Mappa.</i>	80.
Cap. XIX. <i>Quo colore veteres in veste vsi. Romani, Iudaei, Afri, Aegyptij, in veste albâ. Quid distet inter album &amp; candidum. Galli fortè in rusâ.</i>	84.
Cap. XX. <i>Quis enim color vestis Clericalis. verosimile quod albus. Quare Cardinalium purpureus.</i>	92.
Cap. XXI. <i>Veterum &amp; recentiorum Conciliorum circa Clericorum habitum decreta.</i>	98.

L I B R I P R I M I

P A R S S E C V N D A.

<b>C</b> AP. I. <i>Etymologia vocis, Monachus, explicata. refellunt Scaliger.</i>	101.
Cap. II. <i>Institutum monasticum antiquissimum latissime mox ab Ecclesia exordio diffusum.</i>	104.
Cap. III. <i>Explicatur Baronius. Eius occasione de monasterio S. Mariae in monte Carmelo digressiuncula.</i>	107.
Cap. IV. <i>Vetus mos est in monachismi adsumptione habitum mutare, &amp; qua ratio.</i>	114.
Cap. V. <i>Habitu monastico semper honos habitus: declaratur exemplis.</i>	116.
Cap. VI. <i>Habitus monastici Deus frequenter demonstrator.</i>	119.
Cap. VII. <i>Vetus religio est, sepeliri in habitu monachi. Referuntur viri magni &amp; Principes, qui sic se sepeliri iusserunt.</i>	121.
Cap. VIII. <i>Refelluntur Sectarij, qui piuum hunc morem rident. adlegantur ex alia Pontificum concessionibus in fauores habitus monastici.</i>	126.
Cap. IX. <i>Veteres monachi cucullati: &amp; quid significet cuculla gestatio. Quid Camelauchium.</i>	128.
Cap.	Cap.

INDEX

- Cap. X. *Mulieres oportere esse velatas ex Apostoli doctrinâ. Ita etiam hodie incedere omnes faminas Orientales.* 131.
- Cap. XI. *De velo Sanctimonialium. Optato Milenitano vocari mitram aut mitrellam.* 134.
- Cap. XII. *Veteres Monachi tonsurati, aut potius in coronam rasi. Symbolica illius ritus rationes.* 136.
- Cap. XIII. *Sanctimoniales quoque refectâ comâ. Satisfactum præterea obiectioni contra proposita.* 139.
- Cap. XIV. *Etiâ Gentiles aliquid de hoc ritu observasse.* 143.
- Cap. XV. *Quid Tunica, Quid Rasa. Rachana. Rachanella. Rasophori.* 144.
- Cap. XVI. *Color vestis monastica ut plurimum niger: quam ob causam. Habuit frequenter in aliqua sui parte Crucem purpuream. quæ à monachis etiam manu gestata.* 147.
- Cap. XVII. *Tunica veterum Monachorum frequenter pellicea.* 150.
- Cap. XVIII. *Refelluntur Sectarij. declaraturque pluribus exemplis capituli superioris doctrina.* 152.
- Cap. XIX. *De monachorum Scapulari. An simile Ephod Mosaico.* 154.
- Cap. XX. *Scapulare Grecis Analabus. Quid Ependytes. Quid Eractetes.* 156.
- Cap. XXI. *De Monachorum Zona. quid symbolicè significet.* 158.
- Cap. XXII. *Quid Pallium. Commodius fuisse veterum Toga. unde in monachos illud trinitum, ὁ ὑπαὶ τοῖς ἐπιθεῖναις.* 60.
- Cap. XXIII. *Quid Mafortes, & quare Monachorum Pallia paxos dicta.* 164.
- Cap. XXIV. *An apud veteres usus femoralium: Probatum responsio affirmativa, & satisfit rationibus contrâ adlegatis.* 166.
- Cap. XXV. *Veteres Monachos ut plurimum, calceatos fuisse. Quanam calceamenta fortia apud Vopiscum. quanam clauata: exempla quorundam severiorum qui nudipedes.* 173.
- Cap. XXVI. *De Monachorum baculo, & symbolica eius ratione.* 176.
- Cap. xxvij. *De pelle caprina. An illain vita Hilarionis significata per Tenatten. Cuius rei symbolum sit.* 177.
- Cap. xxviiij. *Sancti Benedicti & Concilij Aquensis de monachorum veste decreta. Quis habitus monachum deceat.* 180.
- Cap. xxix. *Exempla eorum qui in veste vilitatem amauerunt.* 184.
- \*\*\*\*\* 3
- Cap.

## INDEX

- Cap. xxx. *Notantur Monachi ambiciosius vestiti. Reijciuntur praetextus & excusatiuncula, adducta unâ & alterâ lepidâ historia.*  
187.
- Cap. xxxj. *Non posse quorundam vanitatem in habitus religiosi irabi contumeliam.*
- Cap. xxxij. *Vetus modus vestiendi novellum Monachum ex Euthologio.*

## P A R S T E R T I A.

- C**AP. I. *Clericos regulares rectè appellari Clericos-monachos.*  
198.
- Cap. II. *Institutum Clericorum Regularium est institutum Apostolicum: & quàm strenue huc usque in functionibus Apostolicis illi desudarint.* 201.
- Cap. III. *Varia Clericorum Regularium epitheta: eaque explicata. Quid de Epistolâ (Clementis ad Iacobum fratrem Domini quidam eruditi sentiant. Quando primùm dicti Clerici, aut Canonici Regulares.* 204.
- Cap. IV. *Canonici Regulares secularibus antiquiores. Locutio hæc (Canonicus Regularis) contra nascentes defenditur.* 207.
- Cap. V. *Qui-nam Instituti Regularis fundatores, propagatores, reformatores.* 212.
- Cap. VI. *Vestis linea sanctimonia & puritatis Hieroglyphicam. Almutia & cappas Clerici à Monachis mutuati sunt.* 221.

F I N I S.

PRIVILEGIUM.

**P**HILIPPVS IV. Dei gratia Rex Hispaniarum, & Belgarum Princeps, diplomate suo dato Bruxellis anno 1626. die 20. Maij, concessit HENRICO HASTENIO, Typographo jurato Urbis & Academiae Lo-uaniensis, facultatem imprimendi Tractatum, cui Titulus, *De vetere Clerico, Monacho, Clerico-Monacho, libri III. Auctore Venerando Domino ac F. LAURENTIO LANDTMETER, S.T.L. ac eiusdem in Monasterio Tongerloensi Ord. Pramonst. Lectore:* interdicens alijs omnibus Typographis ac Bibliopolis, ne quis praeter voluntatem dicti HASTENII eundem excudat, aut alibi excusum venalem importet in has ditiones Regiae Maiestati subiectas, sub poenis latius in praedicto diplomate comprehensis.



P. 11. A. 110

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

# P R Æ F A T I O.

Amice Lector,

**M**Os vulgò obtinuit, ut quilibet fere Religiosi dicantur Monachi, & qualibet Cœnobia Monasteria. Qui modus loquendi non omnino abest à vero. Nā Religiosi aut instituto sunt Monachi, ut Benedictini, Bernardini, &c. aut Clericatus iunxerūt Monasticen, ut Canonici Regulares, &c. Ut res hac facilius caperetur, decreueram, dante Deo, vetus tam Clericorum quam Monachorum institutum breuiter describere; & in quibus conueniant, in quibus discrepent, compendio explicare. Hoc enim factò, existimaram facilis fore intellectus, qualem illi vitæ rationem inierint, qui utrumq; institutum coniunxerunt, & ab eo Canonici Regulares, siue Canonici-monachi appellati sunt. Quæ dum paro, venit mihi in manus Liber De origine & vita Canoniorum, Doctiss. ac Illustris

A

viri

*viri Caroli à Mansfelt. Legi eum, & visa est mihi erudita eius, de eo argumento tractatio. Vndè cogitabam suppressere quæ de eodem argumento scripseram, ne actum agere viderer: fecissemque, si eadem illi, quæ mihi methodus fuisset; aut, sicut Clericorum ita Monachorum quoque institutum attigisset. Iam verò cum mihi alia methodus sit, fusiorque tractatio: neque Clericus tantum, sed & monachus describatur; existimaui non fore inutile hunc quoque meum laborem publico dare. Præsertim cum ex Augustini sententiâ, Utile sit plures libros à pluribus fieri diuerso stylo, etiam de materijs ijsdem, vt ad plures res ipsa perueniat. ad alios quidem sic, ad alios autem sic. Porrò is ordo mihi seruatur. Primo libro veterem tum Clericorum, tum Monachorum, habitum describo. Vbi multa, etiam de Laicorum veste intersero. Existimaui enim non posse aliter argumentum hoc accuratè tractari. Libro II. Veterem victum ac disciplinam refero. Sub victu, etiam quæ ad victum necessaria sunt, comprehendo. Qualia Clericorum & Monachorum annona ac stipen-*

pen-

A D L E C T O R E M. 3

pendia. Vbi, quæ de primitijs, oblationibus, decimis plerique tradiderunt, breuiter attingo. Sub disciplinâ, omnia veterum Clericorum studia, officia, labores, curas, vigilias: ac quis in quouis horum ordo & dispensatio. Tertius liber, honores, exemptiones, priuilegia, continet; quæ Personis sacris Deus, natura, Principes, vulgus, detulere.

Sunt quidem hæc ab alijs exactissimè tradita. Sed non ideò quouis seculo homines studiosi, calamum tanquam inutilem reiecerunt, quia verissimè iam olim scriptum,

Tertius  
in Eu-  
nacho.

Nullum est iam dictum, quod non dictum sit prius.

Imò potius, ideò

Æquum est vos cognoscere, atque ignoscere,

Quæ veteres factitarunt, si faciunt noui. In pluribus erro? non diffiteor. Sed correctionem & instructionem non renuo. Quin potius Lectori spongiam lubens ipse porrexero, ut, si displiceo, etiam totum delet. Rem ordiar à nominum etymologiâ.

FACULTAS SUPERIORVM.

**E**go infraſcriptus auctoritate mihi datâ à Reuerendiſſimo Domino, D. Petro Giſſetio Abbate Præmonſtratenſi, eiufdem Ordinis Generali, permitto vt Libri de veterẽ Clerico, Monacho, Clerico-Monacho, Auctore F. Laurentio Landtmeter S. T. L. ac eiufdem in Monafterio ſuo Tongerloenſi Ord. Præmonſtratenſis Lectore, à grauibz Theologis examinati & approbati typis euulgentur. In cuius rei fidem ſubſignauĩ, & ſigillum noſtrum hiſ imprimi curauĩ. In Monafterio noſtro Patcenſi, 27 Februarij 1626.

IOANNES DRVSIVS S. T. L. Abbas  
Patcenſis, & Reuerendiſſimi Domini Præmonſtratenſis  
Vicarius.

APPROBATIO CENSORIS.

**T**ractatum hunc eruditum cenſeo, lectu quoque ac prælo dignum.

GVILIELMVS FABRICIVS  
Apoſtolicus ac Regius librorum Cenſor.

I V D I C I V M.

**V**nerabilis P. & F. Laurentij Landtmeter S. T. L. & Lectoris Norbertini Tongerloenſis Abbatie celeberrima, librum primum, qui eſt De veterum Clericorum & Monachorum habitu, perlegi, & multâ eruditione plenum inueni, vt merito appellari queat Regula vitæ & honeſtatis religioſa. Actum die S. Bernardi 1625.

GVILIELMVS MERCERVS  
S. T. Doctor & Profeſſor Regius Lemunij.

PAR-

5  
PARTIS PRIMAE

CAPVT PRIMVM.

*De nomine Clerici, & quid distet inter Clericum & Canonicum.*



CLERICI à sorte dicti. Κληρος enim Græcè, Latine fors est. Vel quia illi in sortem Domini adsumpti sunt: vel quia Dominus fors illorum est. Præfigurati nimirum in Leuitis veteris Testamenti, de quibus constituit Moyses, *Non habebunt Sacerdotes & Leuitæ partem & hereditatem cum Israël, Dominus enim ipse est hereditas eorum.* Deut. 18 Proinde sicut Leuitæ ministerijs altaris addicebantur: ita (inquit Isidorus) *qui in Ecclesiastici ministerij gradibus ordinati sunt, generaliter Clerici nominantur.* l. 3 de Ecl. offic Porro qui Clerici, ijdem plerique vocati Canonici, ob Canonicam siue regularem vitam. Ita insinuat Carolus

## 6 DE VETERE CLERICORVM

*Anna  
1547.  
Mola. de  
Canon. l.  
1. c. 6.*

Magnus in constitutionibus æditis Basileæ, vt refert Molanus, *Qui, (inquit) ad Clericatum accedunt, quod nos nominamus canonicam vitam, volumus vt illi canonici secundum suam regulam viuant.*

*Vvazo in  
epistola  
ad Ioan.  
nē Præp.  
tom. 1. de  
Episcopis  
Leodiens.*

Dixi tamen (plerique) Quia, vt scripsit Vvazo Episcopus Leodiensis, *Omnis Canonicus Clericus, sed non conuertitur. Hoc enim distat inter Clericum & Canonicum, quod nō Clerico sed Canonico debetur claustrū. Illi igitur soli more veteri dicti Canonici, qui sub obedientiâ Episcoporum aut Præpositorum suorum in communi viuebant. Cum his è diametro pugnabant, quos Isidorus (& ex eo Concil. Mogunt. sub Carolo Magno, & Aquigranense sub Ludouico Pio) vocat Clericos Acephalos, qui quem sequantur ignorant; quos neque inter Laicos secularium officiorum studia: neque inter Clericos religio retentat diuina. Hippocentauris similes, nec equi nec homines, mixtumq; genus (vt ait Poëta) prolesq; biformis. Ita ibi. Sed de his ac alijs Clericorum nominibus ac Epithetis fusiùs infrà, tū hoc libro, tū seq.*

CAPVT

## CAPVT II.

*Habere omnium Gentium morem ut qui Sa-  
cris præsunt, peculiariter vestiantur.*

**T**RANSEO ad eorum habitum. Et sermo mihi est de veste aut habitu communi, siue eo qui in quotidianâ conuersatione erat in vsu. Fuisse eum distinctum, saltem in Ecclesiæ pace, ab habitu Laicorum, mos omnium Gentium conuincit. Quia apud quantumuis barbaras nationes, qui eminentiorem vitæ rationem inibant, id ipsum veste, quasi externo simbolo, profitebantur. Apud Iudæos Scribæ & Pharisei (qui, ut alibi scribit D. Hieron. erant Clerici Iudæorum) peculiari indumento vsi. De Scribis docet Epiph. *habebant* (inquit) *fimbrias quasdam significatiuas politia ipsorum.* De Phariseis subiungit, *In prædicto habitu Scribarum progrediebantur, per amicula & alios ornatus, ac muliebria pallia, in latis crepidis ac calceamentorum ligulis procedentes,* Apud Romanos, Virgines vesta-

*Panar. l.  
1. c. 25.*

*Cap. 16.*



8 DE VETERE CLERICORVM

Lip. in  
Syrtag.  
de vestal.

Ad c. 48.  
Exoch.

Vestales , albâ quidem veste sicut cæteri  
vsæ , sed ad discretionem, *limbo punicante*,  
qui ornatus etiam Sacerdotum ac Magi-  
stratus. Auctor Lipsius. Sacerdotes Ægyp-  
tij lineis vestibus utebantur, non solum in-  
trinsecus sed etiam extrinsecus (inquit D.  
Hieron.) vnde est de illis lepidum illud  
Martialis:

*Linigeri fugient calui, sistratâq, turba.  
Inter adorantes sistetit Hermogenes.*

& Iuuenalis:

*Qui grege linigero circumdatus.*

Hist. Or.  
cident.  
Indic. l. 5.

Ac apud Indos, tam Orientales quàm Oc-  
cidentales vsque ad hæc nostra tempora,  
peculiaris habitus fuit ijs, qui Sacris præe-  
rant. De Sacerdotibus, Monachis, Monia-  
libus Mexicanorum , ac eorum veste &  
ornatu, scripsit P. Ioseph à Costa , quem  
vide. Ac generatim, veterum Philosopho-  
rum vestis, pallium. Vt igitur ad proposi-  
tum redeamus, & primùm Clericos, dein-  
de Monachos à capite ad calcem descri-  
bamus, occurrit prima quæstio, de Pilleis.

CAPVT

## CAPVT III.

*Fuisse veteres capite intecto. si quaedam tempora excipias. Et quando ceperit vsus pileorum.*

**A**N olim Clerici eis vsi? Sanè hodiè pileos habent, à Laicorum pileis omnino discretos. Dicendum tamen, neque Clericis, neque Laicis, vetustioribus temporibus, fuisse pileorum vsum; si quaedam tempora excipias, itineris, ægritudinis, Sacrorum, &c. Extrà has aut similes circumstantias nullus vsus pileorum. Docuit Apostolus, *Vir, (inquit) non debet velare caput suum.* Generalis hæc doctrina, & satis significat extrà casum necessitatis, oportere virum detecto esse capite. quia iuxta eundem Apostolum, *Vir velato capite deturpat caput suum.* Ratio iuxta Oecumenium est, quem sequitur Estius, *Quia velando caput suum, quodammodo profectur se in terris alium supra se sexum agnoscere, tanquam Principem & rectorem. Quod*

B ei in-

1. Cor.  
11.

Verba se-  
rè Estij.

10 DE VETERE CLERICORVM

ei inhonestum ac dedecorosum est; ac sui sexus dignitatem ac libertatem imminuens; ut cui diuinâ ordinatione, solus Christus caput sit. Velamen enim capiti impositum, cogit primum terram spectare, tanquam ad Principem in terrâ constitutum: atqui Princeps & caput viri in cœlo est. Mulier autem quia Principem habet & in terrâ & è terrâ, merito deorsum respicit, eoq; eam ducit velamen caput tegens. Huc facit, (ut notauit Theophylactus) quod ad significandam viri præeminentiam, ac mulieris subiectionem, symbola quedam utrique sexui tradita sint ab autore nature. Ut sunt in viro ratio vigens, corpus robustum, vox grauis, mentum hirsutum: quibus contraria omnia in muliere. tale verò & istud esse, ut vir aperto sit capite, mulier velato. Vnde neque historia vlla, neque pictura, prodit Christum aut discipulos eius recto capite velorasse, vel docuisse vel omninò in publicum prodysse: exceptâ spineâ coronâ, quam Christi capiti derisores imposuerunt. Quamuis igitur Paulus loco adlegato, adijciat determinationes (orans aut Prophetans) non ideo tamen,

tamen, quod volunt Græci, extra orationem aut prophetiam viro permittit velamen in capite. Nā eo pacto, (quod tamē Græci nō admittunt) etiam mulier extra orationem aut prophetiam, posset nudo capite apparere. quia & de ea consequenter agens Apostolus, adiecit determinationes, (orans aut prophetans.) Quod si dicas Apostolum postea absolute precipere mulieri ut velet caput suum: respondeo, eque absolute & sine limitatione postea loqui de viro, vir inquit, non debet velare caput suum. Quorsum ergo (inquies) adiecit, orans vel prophetans? Quia sermo ei institutus erat, de honestate seruanda in publicis conuentibus: ubi turpido quam damnat, maximē apparebat. Conformiter in hanc sententiam scripsit Polydorus Virgil. Nouitium inuentum esse laneum illud capitis tegmen quod Byretum vocant. Veteres enim non velasse caput, testantur tum vetera numismata, tum statua. Facit huc quoq; Galeni auctoritas, quam in huius veritatis cōfirmationem adducit Mercurialis, Qui (inquit) nudi sub Sole manent,

De in-  
uent. re-  
rum l. 3.  
c. ult.

Galen. l.  
de causis  
morb.  
Mercur.  
l. 6. de  
arte  
gymna-  
stica.

*nent, uniuersum corpus calefaciunt; qui verò  
 induti, solum caput. Quâ quæso causâ? ni-  
 si quia maiores nostri, licet cætera vestiti,  
 caput tamen nudi? Iungo his Clarissimum  
 Lipsiũ, qui in Amphitheatro suo, breuiter  
 sed neruosè, veteribus Latinis, Græcis,  
 Gallis, Germanis, intectum caput adserit.  
 Exceptis tamen (vt monuimus) quibus-  
 dam temporibus. Extra quæ, mollitiei da-  
 tum, si quis caput pilleo tegetet. etiam oc-  
 cultandæ caluitiei causâ. Vnde inter plu-  
 res honores Iulio Cæsari decretos, nullus  
 ei gratior, quàm ius coronæ laureæ perpe-  
 tuò gerendæ; quod commodè illa ei serui-  
 ret ad occultandam caluitij deformitatem.  
 Cui tamen vitio multò magis idoneus pil-  
 leus, si is tunc in vsu. Et prò Latinis euidēs  
 est testimonium Plutarchi in Centur. Ro-  
 man. *Consuetum est (inquit) mulieribus oper-  
 tis, viris autem apertis in publicum prodire.*  
 Et notat Lipsius ex Nicep. Gregora, mo-  
 rem hunc aperti capitis sub Andronico  
 Imperatore demum exoleuisse, sub quo  
 omnes passim tam iuniores quam seniores  
 pilleis*

Cap. 19.  
 §. 20.

Sueton  
 in Cæsa-  
 re Dicla-  
 nera.

ET MONACHORVM HABITV. 13  
pilleis vterentur, tam in palatio, quam in  
agris.

CAPVT IV.

*Diluuntur obiectiuncula, contra nuda veterum capita.*

**S**ibi iurias, etiam apud veteres consuetudinem habuisse, vt si quis honoratiori occurreret caput aperiret.

Respōdeo. Indè non inferri vsu pillei. Docet Plutarchus in Caussis, cuius hæc verba: *Romani si cui obuiam facti, cui honorabendus; si forte caput iniect à veste reatum habeant, id reuelant. En capitis omnis tectio, en apertio quæ Roma (inquit Lipsius.) Laciniam nimirum toga in caput saepe reijciebāt contra ventum aut æstum, eamque detrahebant, in honorati alicuius occurso.* Nec solius honoris causâ id factitatum, sed etiam valetudinis, auctor est Plinius. *Caput* <sup>Hist. nat. tur. l. 28. c. 6.</sup> *aperiri (inquit) aspectu magistratum, non venerationis causâ maiores iussere, sed, ut Varro auctor est, valetudinis: quò firmiora*

Sueton. consuetudine fierent. Vnde Iulius Cæsar (cuius  
Capitol. agritudine ex militia laboribus remedium  
 quesitum est, (teste Plutarcho) in agmine  
 anteibat detecto capite, siue Sol, siue imber  
 esset. Et Adrianus Imperator, publicè &  
 priuatim, in patriâ & peregrè, in æstu &  
 frigore, ac demum quavis cæli intempe-  
Dio Caf-  
suis. rie, semper nudo capite. Vt etiam Al-  
 pes, & Gallicas, niues, & Aegypti calo-  
 res intecto capite pertulerit. Taceo Re-  
 gem Massinissam cui ad longissimam æ-  
 tatem nihil obfuit, sed verius profuit,  
 torridos Africæ æstus intecto capite su-  
Lib. 3. stinuisse. Ac retulit Herodotus, In eo pra-  
 lio quo Cambyses rex, Psammenitum Re-  
 gem Egypti superauit, ossa eorum qui acie  
 ceciderant cum iacerent fusa, ut ab initio  
 distincta fuerant, sursum erant Persarum,  
 deorsum Aegyptiorum. Sed Persarum ca-  
 pita adeò fragilia, ut si velles ferire, vel so-  
 lo calculo perforare posses: Aegyptiorum au-  
 tem firma, ut ea vix ictu lapidis elideres.  
 Cuius caussa hac erat, quod Aegyptij statim  
 à pueris capita radere inciperent, & os ca-  
 pitis

ET MONACHORVM HABITV IS  
pitis ad Solem durarent. quæ eadem causa  
erat non caluescendi. At Persis fragilia  
capita fuisse, quod à primâ infantia ca-  
pita operirent, gestantes pilleos tiaras-  
que.

Quid ergò (inquires) si ad capitis ro-  
bur conducit eius apertio, Hippocra-  
tes medicorum Princeps in veteribus i-  
maginibus pingitur pilleatus? Aliqui di-  
xerunt id factum decoris gratiâ, quod  
esset caluus. Aliqui retulerunt ad ca-  
pitis imbecillitatem. Alij ad mysterium.  
Nimirum quod Principem animæ ra-  
tionabilis sedem, oporteret esse probè  
munitam: Alij signum amantis peregrin-  
ationes volunt. Alij quod scripta eius  
obscura. Denique sunt qui adfirmant,  
quod in administratione rerum geren-  
darum, ne quid à circumfluo pallio ma-  
nus ipsi impedirentur, id ipsum compli-  
catum in caput reijcere consueuisse.

Erunt qui pergent obijcere pilleos  
libertorum, & ex eis adstruent solos  
seruos fuisse in nudo capite. Ad quid e-  
nim,

Soranus  
Causa in  
eius vita.



16 DE VETERE CLERICORVM  
nim, cum ad libertatem etiam ad pilleum  
vocabantur, nisi quia liberi homines in  
pilleis erant? Sed obuia est responsio, id fa-  
ctitatum tuendi capitis causâ, iam recens  
rasi. Seruis enim cum emancipabantur,  
capita radi consueuisse, in confesso est.

CAPVT V.

*Non satis constare quando in Clero ceperit v-  
sus Pilleorum quadratorum.*

**M**ANEAT igitur certam firmumque,  
Veteribus & primis Clericis, non  
fuisse pilleorum vsum. Quando-nam verò  
ceperit præsertim pilleorum quadratorum,  
mihi huc vsque ignoratum. Sanè anno Do-  
mini nongentesimo septuagesimo primo  
Clerici Leodienses pilleati erant. Docet  
stratagema B. Notgeri Episcopi, qui Ca-  
strum Capri-montis ciuitati infestum de-  
leturus, & in hunc finem milites sub Cle-  
ricorum habitu occultaturus; inter cæte-  
ra, *Laicalem comam pilleis laneis celauit.* Si  
enim erant tunc pillei Clericis insolentes,  
res

*Chron.  
Leod.  
serm. 1.*

ET MONACHORVM HABITV. 17  
res erat obnoxia suspitioni, & minus ob-  
uius dolus, milites istos personatos, pillea-  
tos adducere. Eos quadratos fuisse anno  
Domini millesimo, centesimo quadrage-  
simo sexto, probabiliter adseritur. Eo enim  
anno Ecclesiæ & Sedi Tornacensi (post-  
quã iam quingētis & quod excurrit annis,  
per Episcopos Nouiomenses fuerat admi-  
nistrata) suus authoritate Apostolicâ resti-  
tutus Episcopus, Anselmus nomine, Ab-  
bas S. Vincentij Laudunensis. In historiã  
introductionis huius Anselmi, quam ex-  
primunt veteres in eã Ecclesiã picturæ vi-  
treæ, Lietbertus Canonicus rediens Romã  
cum Anselmo Episcopo, pingitur in pilleo  
quadrato, & habitu rubro. quo colore &  
alij in eã Ecclesiã Clerici vsi, vt infrà mo-  
neo. Postquàm passim pillei haberi cepe-  
runt, æuo iam reiectiore, districtè vetitum,  
ne Clerici sine rationabili causâ, infulam  
aut pilleum lineum publicè portent in ca-  
pite.

R. D.  
Ioannes  
Cousin,  
hist. Tor-  
nac torn.  
3. c. 49.

Clement.  
Quoniã.  
de Ho-  
nest. Cle-  
ric.

C

CAPVT

## CAPVT VI.

*Indecorum viro comam alere. notabile super  
eâre Gottefridi Episcopi factum.*

**D**E pilleo transeo ad Comam. Hæc enim se primùm offert in aperto capite. De virili comâ generatim docuit Apostolus: *Vir si comam nutriat ignominia est illi.* Vbi noto ex communi Interpretum, neque hoc loco, neque superiore, adlegare Apostolum præceptum aliquod iuris naturæ aut diuini positiui; quo obligetur vir aut reuelato esse capite, aut detonsâ comâ: sed tantum indicare, quid quemque sexum, (quando aliud necessitas aut ratio non suadent) iuxta naturæ inclinationem magis deceat. Quâ tamen non obstâte, multis gentibus mos fuit, viros comam promittere. Inde nomen Galliæ comatæ. Et apud Romanos ante tempora Scipionis Africani, ignoti tonsores: Semper tamen vbiuis gentium probro datum, comam calamistrare. Contra  
hanc

2. Cor.  
11.

Vide  
Rhod.  
L. 6. c. 29.

hanc mollitiem est illud Scripturæ, *Non* Leuit. 19  
*attondebitis in rotundum caput vestrum.*

Quid enim sibi velit hæc prohibitio ex-  
 presserunt Interpretes septuaginta, qui  
 vertunt: *Non concinnabitis caput vestrum.*

Infame enim & fornicem redolens; quia  
*nemo comatus* (inquit Synesius) *qui idem* Synesius  
 Encomio  
 caluitici.  
 Et Rho-  
 dig. l. 8. c.  
 29.  
*non sit cinadus.*

*Talia lascivæ faciunt, concede, puellæ,*

*Aut si quis malè vir, querit habere virū.*

Est in hac re notabile factum Godefridi Suirius  
 Et Mo-  
 lanus 8.  
 Nouemb.  
 Ambianensis Episcopi. Conuenerat Au-  
 domaropolim Robertus Flādriæ Comes,  
 Dux itineris Hierosolymitani, comitanti-  
 bus vtriusq; ordinis proceribus. inter quos  
 iste Godefridus: petijt Comes ab eo offerri  
 sacrificium in Christi natàli die. Fecit. Post  
 lectionem Euangelij, cū iam ventum esset  
 ad oblationem, vir Dei omnium dona re-  
 iecit, qui instar muliercularum intonsâ e-  
 rant comâ. Quo facto permoti, & cognitâ  
 Antistitis autoritate, certatim gladijs &  
 cultris sibi capillū abscindebant. miseros se  
 existimâtes, si ob comâ, tâti viri benedic-

20 DE VETERE CLERICORVM  
tione priuarentur. Et in Actis S. Sebastia-  
ni de Torquato mentiēte se Christianum,  
dixit Tiburtius ad Iudicem Fabianū, *Credi-  
disne, vir illustrissime, hunc Christianum, qui  
in corporis sui lenocinio moliendo capitis sim-  
brias admittit? qui tonsorem diligit? qui sca-  
pulis molliter gētit? nunquam tales pestes  
Christus dignatus est habere seruos suos. Sed  
hæc parerga sunt, redeo ad comam Cleri-  
corum. De quâ Anicetus Papa ex aucto-  
ritate & institutione Apostolicâ statuit.  
Ne Clerici eam nutriant, (intelligo more  
muliebri) sed caput desuper in modum spha-  
ræ radant. Et est recepta Catholicorum  
sententia, Coronam Clericorum manare  
ab Apostolico instituto.*

#### C A P V T VII.

*Rationes plures hic adlegata Corona Cleri-  
calis, ac data satisfactio quibusdam dubi-  
tatiunculis.*

*in Gem-  
ma ani-  
mæ. c.  
194.*

**R**ATIONES huius coronæ apud va-  
rios variæ. Honorius Augustod. pri-  
mam

mam adsignat, Christi decaluationē. Vult enim Christum ante crucifixionem decaluatum. idque veteri more; quia nimirum consueuerint veteres: Cruciariorum decaluarē: in huius supplicij memoriam, Clericos in modum coronæ caput tondēre. Ità ille. Sed nescio an certâ fide. Quia apud Evangelistas qui sigillatim Christi passionem describere, nullum apparet huius decaluationis vestigium. Et Lipsius, eruditionis solidissimæ, & scriptionis accuratissimæ vir, in libro secundo de Cruce, referens quæ in Crucis supplicio affixionem antecedeant, non meminit nisi flagellationis & deductionis. Deductio comprehendebat duo, ludibrium & tormentum. Ludibrium in eo situm, quod crucem suam cruciarius ferre cogebatur: Tormentum, quia trahere, diuexare, & stimulis agere eum per viâ solebant. Nulla hic mentio decaluationis. Itaque eius fides penes Honorium sit.

Probabilior ea opinio est, quæ docet, ideo Clericis in coronam tonderi, quia S. Petrus apud exteras nationes Euangelium

*German.  
Ep. Cöst.  
in Theor.  
ver. Eccl.*

22 DE VETERE CLERICORVM  
prædicans ita tonsus fit. Sanè ignomi-  
niæ causâ id fieri solitum, probant Acta  
Ioannis Apostoli, quem in feruentis olei  
dolum mittendum, Domitianus Im-  
perator ad ignominiam totondit. Idem  
ludibrium ab eodem Domitiano passus  
est Apollonius Thyanæus, auctore Philo-  
strato. Cyprianus quoque, testatur, dam-  
natos ad metalla, semi tonderi consueuis-  
se. Et Lucianus in Conuiu. describit Mo-  
xionem *raso capite.*

*Ep. 77.*

Tertia ratio Coronæ Clericalis ad sig-  
natur, iugis recordatio illius spineæ co-  
ronæ, quam milites plectentes, capiti  
Christi per ludibrium imposuerunt. Hanc  
ob causam sanctum Petrum cæterosque  
Apostolos fuisse tonsuratos, idque Eccle-  
siæ faciendum tradidisse, auctor est Beda.

*De gest.  
Angl. l.  
5. c. 22.*

Si hîc obijcias tertiam & secundam ra-  
tionem non satis cohærere, imò alteram  
alterâ eneruari. Si enim Petrus cæterique  
Apostoli in recordationem coronæ Do-  
minicæ tonsurati; quomodo Petrus à Bar-  
baris, Iohannes à Domitiano per ludi-  
brium

brium attonsi? Deindè si hic ritus à memoriâ coronæ dominicæ, suæ institutionis sumpsit originem; quomodo subsistit ratio secunda, ita factitatum quia Petrus à Barbaris sic tonsus sit? Huic obiectioni oppono primò auctoritatem Illustrissimi Baronij, qui easdem rationes congerit. Deindè facile est dicere, non sic Apostolos caput sibi totondisse, vt rursus pili non succrescerent. Diceret ergo aliquis, probabili coniecturâ, in Petro & Iohanne, per pilorum succrescentiam coronæ vestigium abiisse. Quamuis contra ego opiner, ob apprensus coronæ vestigii, Barbaros ansam sumpsisse, caput per ludibrium tondèdi, non forfice sed nouaculâ. hoc enim magis ignominiosum. Vnde Lucianus (vt iam dixi) Morionem describit, capite raso. Et in martyrum historijs plures leguntur ad turpitudinem rasi. quæriturque Optatus, Donatistas, Catholicis Sacerdotibus coronam rasisse, vt infra noto. Altera obiectionis pars, tantùm scrupulus est, cum constet Eccle-



Ecclesiam in suis ritibus, plures rationes attendere, quarum vna principalior sit, cæteræ accessoriæ. Exemplum obuium est in ieiunio quadragesimali, cuius obseruationem ducit Ecclesia in sacro officio, & SS. Patres in suis sermonibus, ab exemplo Moyfis, Eliæ, Christi. Addentes præterea rationem moralem, vt quasi vitæ nostræ decimas per quadragesimæ abstinentiam, Deo consecremus. De quâ lege Bellar. de bonis oper. l. 2. c. 16. Sit ergò verum principaliorem coronæ Clericalis rationem sumi à Christi Spineâ: nihil tamen prohibet, illam, de Petro per ludibrium raso, huic fieri accessoriâ. quâ nimirum moneatur Clericus suam coronam honorare; cuius occasione Princeps Apostolorum ignominiosè habitus, gauisus est dignum se habitum pro nomine IESV, contumeliam pati.

Quarta sit, demonstratio regalis in Ecclesia Sacerdotij. Retulit eam Isidorus & Honorius, locis suprâ citatis. De regali hoc Sacerdotio fusè agit Illustrissimus Baro-

Baronius Annalium tomo primo. ex quo quædam breuiter subijcio, pluribus acturus infra lib. 3.

Ad annũ  
Christi  
57. a nu.  
13. usque  
ad 72.

Christi sacerdotium fore secundum ordinem Melchisedech, qui fuit simul Rex & Sacerdos, olim Dauid prædixit, & Apostolus in Epistola ad Hebræos est fusiùs interpretatus. Cum igitur Christus Rex atque Sacerdos omne iudicium à Patre suscepit, plenissimam nimirum iudiciariam potestatem; eandem simul cum Sacerdotio iungens, instituit (secundum quod Apostolus Petrus scripsit) in Ecclesia

Pf. 109.  
ad Hebr.  
6. & 7.

*Regale Sacerdotium.* Verum non sic quidẽ est regale Sacerdotium constitutum, & Sacerdotibus iudiciaria per Christum potestas collata, vt politicum regnum voluerit esse sublatũ. Quia vt dixit S. Chrysof.

Iuxta  
Casit &  
aliorum  
virorum  
Doctore  
interpretatione.  
qui sibi  
volunt  
ab Apo-  
stolo Ec-  
clesia tri-  
bus rega-  
le Sacer-  
dotium,  
vt tamẽ  
illud non  
sit in  
singulis,  
sed in a-

*Alij sunt termini regni, alij Sacerdotij: sed hoc illo maius est: neque enim ex auro aut gemmis estimari debet. Rex qua sunt in terra sortitus est: Sacerdotij ius à superius descēdit.*

liquibus de Ecclesiã. Quomodo (inquit Salmeron in eum locum Petri) si quis dicat in rep. Romanã fuit consulatus & imperium: non quod in singulis quod nimis euident est; sed quod in aliquibus de illã repub. Vnde etiam Rib:ram ad cap. 1. Apocalip.

D

Regi

*Regi corpora commissa sunt: Sacerdoti anima. Vnde post pauca. Sacerdotis thronus in caelis est collocatus, de caelestibus negotijs pronuntiandi habet auctoritatem: cum Sacerdotium à Supernis descendat, eiusque vinculi animam contingat, atque ad caelos usque pervadat. Ità Chrysof. Ad hæc ipsa respicit quod dixit Apostolus. Arma nostra non sunt carnalia, sed potentia Deo. Potentia inquam, ad faciendum quod habet Psalmus, vindicta in nationibus. Ad alligandos Principes eorum in compedibus. Tales enim compedes (inquit August. in Psal. cit.) consolidat vobis Episcopi manus.*

Ad hanc igitur istius regalis Sacerdotij eminentiam indicandam, voluit Ecclesia Clericos tonsurâ coronari. Quæ quidem potestas primariò residet in Episcopis (aliter tamen in Episcopo Romano, aliter in alijs, vt infra visuri) in cæteris verò aut participatione, aut quâdam subordinatione. Hinc apparet, quàm indignè & viliter Clerici illi de suo statu sentiant, qui tonsuram, ordinis sui insigne, erubescunt.

De

Degenerantes à maiorum suorū religiosā magnanimitate: quibus corona sua in tantā erat æstimatione, vt si quis enixius ab eis sibi rogandum aliquid putaret, hoc faceret interpellando eos, per Coronam suam.

Vide S.  
Aug ep.  
147.

Addo quintam rationem. Vt nimirum Clericus capilli resectione profiteatur se transire in familiam Domini. Consueuisse enim veteres ei capillum offerre, quem in parentem aut patronum eligebant, exemplo est Constantinus Pogonates, qui (vt refert Anastasius in vita Benedicti secundi) eidem Benedicto misit mallones siue cirros capillorum Iustiniani & Heraclij filiorum suorū. Quid enim hoc symbolo significare voluerit, ex Paulo Diacono datur intelligi, qui scribit, Carolum Principem Francorum, Pipinum filium suum direxisset ad Luitprandum, vt eius iuxta morem, capillum susciperet: *qui eius casariam incidens, ei pater effectus est.* Pius ergo Imperator mittens Benedicto Papæ mallones capillorum filiorum suorū,

Lib. 6 v.  
53 nonne  
edit.

28 DE VETERE CLERICORVM  
voluit testatum facere , desiderare se vt  
Pontifex filijs suis esset in peculiarem pa-  
rentem.

Est aliud eiusdem rei exemplum apud  
eundem Anastasium in historicâ præfatio-  
ne ad VIII. Synodum. Vbi referēs admira-  
bile studium Regis Bulgarorum ergà Ec-  
clesiam Romanam , scribit , quâdam die  
manu propriâ capillos apprehendisse , ac  
cunctis videntibus legatis S. A. tradidisse,  
dixisseque, *Omnes Principes, & cuncti Bul-  
garorum populi agnoscant ab hoc die me fore  
seruum, post Deum, B. Petri & eius Vicarij.*  
Præscindere igitur capillum signum fuit  
filialis obsequij: ac proinde Clericis con-  
gruentissimum; quibus ex officio propriū  
est in cultu Dei ministrare, & familiam e-  
ius peculiari ratione constituere , sicut  
*Num. 3.* scriptum est, *Eruntque Leuit & mei.* Ex hâc  
specialiori ad Dei cultum deputatione,  
originem trahit Clericorum exemptio à  
iugo sæcularis potestatis , dicente ipso  
*Mat. 17.* Christo Domino *liberi sunt filij.* De quâ  
pluribus infra. Denique, vt insinuat Al-  
mala-

malarius, per circulum Coronæ, monetur De Eccl.  
off. l. 2. c.  
5.  
Clericus, ambulare in simplicitate cordis  
fui, nihil fucatè, nihil dubliciter agere.

*In seipso totus teres atque rotundus.*

Ad hoc enim seruire circularem figuram,  
argumento est: quod S. Augustinus iam ci-  
tato Horatij versui, subijcit. *Nam neque  
in animo quidquam boni inuenis quod sibi ex  
omni parte consentiat quam virtutem: neque  
in planis figuris, quam circulum.*

## CAPVT VIII.

*Non fuisse veteribus in usurasuram. Et quid  
de veterum barbâ?*

**M**ONET autem Bellarm. Veteribus l. 2. de  
Monach.  
c. 40.  
non fuisse in vsu rasuram, sed ton-  
suram. Euidens est ex testimonio Pædago-  
gi Christiani. *Pili (inquit) tondendi sunt,  
non nouacula, sed tonsorũ forficibus.* Clem. 3.  
Ped. c.  
11. Et Op-  
tatus lib. con. Parmen. arguit Donatistas  
quod Sacerdotibus Catholicis per vim  
caput raserint, *cum (inquit) multa sint  
exempla proposita, fieri non debere.* Et S.

D 3

Hieron.

In c. 44.  
Ezech.

Hieron. docuit, Sacerdotes non debere comam alere, nec tamen radi; sed ita tonderi vt cutis tecta maneat.

Patres denique hoc argumentum tractantes, & Concilia Carthaginense & Toletanum, non nominant rasuram sed tonsuram. non tamen ideo reprehendendus est mos huius temporis, quia nec radi vnquam prohibitū fuit. Neque in dubium reuocanda est Epistola decretalis Aniceti, quod præcipiat caput in modum sphaeræ radi: hoc enim admittit facilem interpretationem, vt radi idem sit quod demissè tonderi. Ita Binius in Notis ad citatam Decretalem.

In barbâ tondendâ aut promittendâ non fuit veterum Clericorum, vbiuis eadem consuetudo. Orientales enim barbati: Occidentales barbi-tonsi. De Orientalibus sufficienter probant quæ scribit Clemens in Pædagogo, vbi non tantum prohibet barbam velli, sed omninò vult eam nutriri. Et Christus barbam gessit.

l. 3. c. 3. Barbacapillus (inquit Nicephorus quando

l. 1. c. 7. de

de Christo ei sermo) *flauus non admodum demissus*. Apostolo Paulo barbam longiorem fuisse & densiorem, idem Nicephorus testatur. l. 2. c. 37.

De Occidentalibus est apertum Gregorij VII. testimonium. *Occidentalis Ecclesie clerus* (inquit) *ab ipsis Ecclesie Christiane primordijs, barbam radendi morem tenuit*. Adsignat Honorius huius rasuræ mysticam rationem; vt nimirum vultus imberbis ducat nos in recordationem vocis illius dominicæ, *Nisi efficiamini sicut paruuli non intrabitis in regnum calorum*. l. 8. Regist. ep. 10. In Germania anis ma l. 1. 06. 125.

Quare diuersa fuerit in Occidente quàm Oriëte huius rei obseruatio, causam reddidit illustriss. Baronius, quod Romæ (à quâ ob prærogatiuam S. A. cæteræ Occidentis Ecclesie hunc ritum mutuarunt) more receptum esset, vt plerique, præsertim honestiores, barbam raderent. Vnde notatur Adrianus, præter consuetudinem eorum qui præcesserant Imperatorum, barbam promississe ad occultandas faciei maculas. Quia igitur apud Genti-



Gentiles qui erant honoratiores, rasâ barbâ erant; Christiani quoque eum morem tenuerunt. Qui licet à laicis ferè reiectus sit, in Clero tamen vtcumque retentus est. Porrò semper vitio versum, barbam velle-  
re, & vultui virili, superinducere faciem Eunuchinam . Vide Pædagogum Christianum loco citato.

## CAPVT IX.

*Coronam Clericalem, sicut & alios Ecclesiæ ritus Symonem amulatum. Satisfit obiectioni.*

**O**BITER hic monèo, Tonsuram & Coronam capitis etiam à Gètilium Sacerdotibus vsurpatam. Simon Magus tonsuratos habuit discipulos ex auctori-  
tate Bedæ. Et ad eos fortè respexit Honorius sup. Vbi meminit tonsuræ Magorum. Sed illa non erat circularis aut rotunda, sed ab aure ad aurem per medium caput. Sacerdotes Babylonij apud Baruch Pro-  
phetam, capita & barbam rasi.

Cap. 6.

Sacer-

Sacerdotes Isis & Serapidis toto corpore. Vnde vocat eos Martialis, *Linigeros caluos*. Et Hieremias pluribus locis meminit eorum qui in comam erant attonsi. Atque his nostris sæculis, Sacerdotes Mexicani caput in rotundum rasi. Quid ergo? Nunquid ideò cum Sectarijs coronam Clericalem superstitionis damnabimus? Nemo sanus hoc fecerit; aut cum coronâ, omnis externus Dei cultus erit ei ablegandus. Quid enim in vsum cultus Dei vera religio transtulit, quod sacrilega superstitio non vsurpauit? Facit hoc maligni Spiritus perniciousa superbia, & diuinæ maiestatis sacrilega æmulatio, quâ dixit. *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo*. Vnde de eo grauitè scripsit Tertull. *Ipsas quoque res Sacramentorum diuinorum in idolorum mysterijs æmulatur*. *Tingit & ipse quosdam, utique credentes & fideles suos: expiationem delictorum de lauacro repromittit. & sic adhuc initiant Mithra. Signat illic in frontibus milites suos; celebrat & panis oblationem*. Hæc & plura Tertull.

E

De

Hieron.  
ad c. 40.  
Ezech.c. 9. 25.  
49.A Costa  
sup.

Esaiâ 14.

De presb.  
c. 40.

De Iuliano Apostata, insigni dæmonis organo, refert Sozomenus. *Christianos ritus in suam gentilitatem conatum inducere: & emulatum omnem Christianorum apparatus, Sacraria, lectiones, sedes alias altiores alias submissiores, formam precationum alternatim canendarum, canobia virorum & virginum, humanitatem erga pauperes, sollicitudinem in sepeliendis mortuis. &c.*

Leuit.  
19.

Atqui, dicit quispiam Sectarius, male adlegari in quæstione coronæ Clericalis, dæmonis æmulationem. Neque enim qui prior est aut antecessit, posteriorem aut sequentem æmulatur; sed contrà. Iam verò pluribus ante Christiana tempora sæculis, dæmon Sacerdotes suos tonsurâ insigniuit; eâque circulari: indicante hoc Domini prohibitionem, *Non attondebitis in rotundum comam*, more nimirum Sacerdotum Aegyptiorum. Non ergò dæmon æmulatus est Clericorum religionem, sed potius Clerici imitati dæmonis superstitionem? Resp. Obiectionē hanc æquè Tertullianum ac nos tangere. Sacrilegi enim  
ij ritus

ET MONACHORVM HABITV 35  
ij ritus in Mithræ sacris adhibiti, quibus  
docet dæmonem ipsas res Sacramento-  
rum Christi æmulatum, iam longè ante  
Christum in vsu. Spelæum siquidem Mi-  
thræ cum suis Sacris, Zoroastis inuen-  
tum est. Vt ex Porphyrio notat Gy- Syntag.  
raldus. 7.

Quomodo ergo in ijs dæmon Christū  
æmulatus? Docet Iustinus tā in Dialogo  
cum Tryphone quam Apolog. ad Anto-  
nin. Pium. Dæmonem nimirum naturali  
subtilitate, ac exercitatâ pluribus sæculis  
sagacitate, multa ex Scripturis Propheti-  
cis, de Christi regno eiusque institutis  
cognouisse aut saltem suspicatum. Vnde  
vt ei auctoritatem præriperet, ac venienti  
fidē derogaret, multa eorū in suos honores  
trāstulisse. exem. gra. Legerat in Genesi de  
Messia venturo, *quod esset ligaturus ad vitē  
pullum suum; Et ad vineam asinam suam,  
loturus in vino stolam.* &c. Vt ergo  
quod auctoritate huius testimonij pri-  
mâ facie videbatur posse significari, sibi  
adrogaret, finxit, sub cuius nomine sacri-

36 DE VETERE CLERICORVM  
legè coleretur, nescio quem Dionysium  
vitis inuētorem, aut potius modi eam co-  
lendi apud ignarum hospitem traditorē,  
de quo vt Deo caneretur.

Virg. 2.  
Georg.

*Tibi Pampineo gravidus autumno.*

*Floret ager, spumat plenis vindemia labris.*  
Legerat apud Esaiam, Messiaē Matrem,  
*Virginem concepturam*, & apud Psalmistā,  
Eum in illam *sicut pluuia in vellus descensu-*  
*rum*. Et en tibi fabulosam Danaen ab au-  
reo imbre imprægnatam, & mox Persei  
matrem. Nimirum hæc mater virgo erat,  
primùm auro, dein viro corrupta. Lege-  
rat item apud Psalmistam, *Exultauit vt*  
*Gigas ad currendam viam*. Et ecce men-  
dax ille veterator sistit tibi Herculem, Ioue  
natū, Orbis peragratores, monstrorum  
ferarumque domitorem, ipsoque patre  
Ioue fortiorem. Vt ausus fuerit dicere de  
eo Tragicus Seneca.

*Fortius ipso genitore tuo.*

*Fulmina mittes.*

Legerat apud Esaiam, *Deus ipse veniet &*  
*saluabit nos, tunc aperientur oculi cecorum,*  
*tunc*

*tunc saliet sicut ceruus claudus. &c.* Moxq; reperit pater mendacij quem supponeret, Aesculapium nimirum, & hunc Ioue natum, medicum peritissimum, omniumq; ægritudinum propulsatorem. imò (quando licet mentiri) mortuorum resuscitatorum. ita vt de eo scripserit Serenus.

*Tuque potens artis, reduces qui tradere  
vitas*

*Noſti, atque in calum manes reuocare ſepultos.*

Venio ad Sacra Mitræ, quæ huius digreſſionis nobis cauſſam dederūt. Ac quidem Iuſtinus diſſertis verbis affirmat, ea dæmonem ex Eſaiæ cap. 33. hauſiſſe. Porro verba Eſaiæ ita ſe habent. *Munimenta ſaxorum ſublimitas eius, panis ei datus eſt, aqua eius fideles ſunt.* Munimenta itaq; illa ſaxorum (auctore Iuſtino) tranſtulit dæmon in Mithræ ſpelæum, in rupe non arte ſed naturâ factum. Ex eo verò quod ei *panis datus eſt,* inſtituta in Mithræ Sacris *panis oblatio.* Et quia *aqua eius fideles ſunt.* Hinc apud eoſdē Mithræ Sacerdotes *tinctio, & de lauacro deli-*

38 DE VETERE CLERICORVM  
*delictorum repromissa expiatio.*

Congerit Iustinus eodem cum Tryphone Dialogo plures alias Scripturas, ex quibus dæmon futuræ Christi Ecclesiæ Sacramenta subodoratus est, adeoque æmulari conatus. quas tu lector apud eum vide.

Quod ad tonsuram Clericorum attinet, certum est tam Clericos quam Monachos à veteribus Nazaræis eius accepisse exemplum; aut, si mauis, in Nazaræis tanquam typo & figurâ eam præcessisse. Iam olim ergò, dæmonis, siue Aegiptij, siue aliarum gētium Sacerdotes, coronam Clericalem æmulati sunt. Si contrà respondeas. Esto. Fuerint Nazaræi tonsurati, nunquid ideò coronati? Optimè. Hoc ergò habemus tonsuram in cultum Dei religiosè adhiberi. Quare verò Clerici in rotundum tondentur pluribus rationibus docui superius. Tu eas ibi, si lubet, vide. Neque quidquam facit Scriptura contrà adlegata. *Non attondebitis in rotundum comam.* Suprà enim paucis insinuauit, Septuaginta  
inter-

interpretes, qui indubiè linguã Hebræam optimè calluerunt, suã interpretatione etiam, sensum illius Scripturæ tradidisse, quando verterunt. *Non cinninabit is comam.* Non ergo hãc Scripturã, corona in capitis vertice vetita; sed verius capillitium calamistratum, siuè calamistris in cincinnos rëflexum. Hoc enim, vt dixi, molle & probrosum, adeoquedæmoni gratum, vt quandoque Cincinnatuli nomen vsurparit, vt auctor est Cælius. Sed demus hãc Scripturã verticis coronam prohiberi: dicemus præceptum fuisse ceremoniale & temporale, ac in odium latum idololatrarũ Sacerdotum, qui hoc ritu tondendi, deos suos se censebant honorare; existimantes eos delectari figurã rotundã & orbiculari. Vtpotè omnium capacissimã & perfectissimã. Sed temporale, inquam, fuit quomodo pleraque illius legis. Vnde neque hodie obligãt. Nunquid enim nostri Sectarij abstinent à Nefrendibus, aut pernas, petafones, farcimina à mensã suã cogunt exulare, quia

l. 3. c. 19.



40 DE VETERE CLERICORVM  
quia scriptum sit: *Sus, qui cum dividat un-*  
*gulam non ruminat, huius carnibus non ves-*  
*cemini?* Non credo. Existimo enim etiam  
apud eos tales inueniri amicos de quibus  
diceret lepidus Poëta.

*Leuit. c.*  
*11.*

*Aprum amat, & nullos, & sumen, & o-*  
*strea, non te.*

### CAPVT X.

*Non fuerunt omnes veteres Christiani pal-*  
*liati. sed vsi veste cum Gentilibus indis-*  
*creta.*

**R**Edeo in semitam, & transeo ad reli-  
quum habitum. Et quidem Chri-  
stianos vniuersim, vbi iam religioni no-  
mē dederāt, consueuisse abiectā togā in-  
duere palliū (vnde in eos Paræmia, Itane  
de toga ad pallium) sensit quandoq; Baro-  
nius, ac plures alij. Sed hanc suam opinio-  
nem postea correxit Annalium tomo 2.  
Vbi pluribus probat, primos Christianos  
vfos veste cum Gētilibus indiscretā. Nec  
poterat pallium ab eis adsumi quasi in tes-  
feram

*Correg.*  
*Baron.*  
*Annal.*  
*tom. 2.*  
*anno*  
*197.*  
*Pamel. in*  
*lib. de*  
*pallio. &*  
*in eundē*  
*Io. Mer-*  
*curus.*  
*Molanus*  
*de Canō.*  
*l. 3. c. 8.*

feram Christianæ religionis, cum eo vterentur non solum Gentilium Philosophi, sed etiam quilibet artium liberalium professores. Et est apertum D. Cypriani testimonium. *Nos, inquit, Philosophi non verbis, sed factis sumus: non vestitu Sapientiam, sed veritate proferimus.* In eandem sententiam dixit Mimitius, *Nos non notaculo corporis, sed innocentia ac modestia signo, mutuo facile dignoscimus.* Addo S. Aug. nihil, inquit, *ad civitatē Dei pertinet quo habitu vel more viuendi, si non est contra diuina præcepta, istam fidem quâ peruenitur ad Deum, quisque sectetur: unde ipsos quoque Philosophos quando Christiani sunt, non habitum vel consuetudinem victus, quæ nihil impedit religionem, sed dogmata falsa mutare compellit.*

*Id. bono patient.*

*In Olla- uio.*

*De ciuit. l. 19. c. 19.*

Supponimus ergò, primis Christianis fuisse cum cæteris vestem communem, ac pro nationum diuersitate diuersam. Romani enim Togati, iuxta illud.

*Romanos rerū Dominos, gentēq; togatā;*  
quamuis in exordio Christianismi,  
F vsus

42 DE VETERE CLERICORVM

Elect. l. 1. c. 3.
Deut. 22 Apud D. Hieron.
Gen. 39.
 vñus togæ multum defecerat, vt docet Lipsius. Iudæi, Græci, Aegyptij palliati. De Iudæis probat illud Scripturæ. *Funiculos facies in fimbrijs per quatuor angulos pallij quo operiris.* De Græcis illud è triuio in Monachos palliatos: *Impostor & Græcus.* De Aegyptijs historia Iosephi in Aegypto degentis, *qui relicto in manibus Domina pallio fugit.* Et inter exempla legimus (inquit Lipsius) *Rabirio posthumo publicè in iudicio obiectum, quod in gratiam Aegyptij Regis, sumpto pallio, posuisset togam.* Atque ita in varijs Gentibus variæ Christianis vestes.

C A P V T XI.

*Quis veterum Clericorum habitus.*

**D**ifficultas est, an saltem Clericis non fuerit peculiare indumentum Gentilibus adhuc imperantibus? Anicetus

nicetus Papa videtur adfirmare, in Floruz  
Anicetus  
Marco-  
Aurel.  
Imperas. Decretali citatâ, *Sicut discreti* (de Clericis loquitur) *esse debent in conuersatione, ita et tonsurâ et habitu discreti debent apparere.* Difficile tamen creditum est, tempore persecutionum, vsos fuisse habitu apud Gentiles inusitato & insolente. Hoc certum, fuisse quam communis vulgi magis grauem ac compositum, & fortè oblongiorem ac talaris; vnde in Actis Albani Martyris, Caracalla nominatur. Passus est  
sub Dioc.  
Vide Sur.  
22. l. 17.

Erat autem Caracalla vestis talaris, quam quia populo largitus est Antoninus, Seueri filius, Caracallæ cognomen accepit. Habitum B. Cypriani habes descriptum apud Pontium eius Diaconum, qui de Cypriano se ad passionem parante, scribit.

*Primum exuisse lacernum Byrrhum. Inde verò spoliasse se Dalmaticâ,* aut vt alia acta habent, *tunicâ: ac in lineâ remansisse.* Hunc S. Cypriani habitum Annal.  
1070 t.  
ad ann.  
261. etiam alijs Episcopis tribuit Baronius.

Ex his, inquit, antiquitatis monumentis, qualis esse solet Episcoporum habitus probè possumus intelligere. Disertè enim nominant, Lineam, Dalmaticam, Byrrhum. Et quantum ad Lineam attinet nemo tam hebeti est ingenio, vt per eam significari credat interulam, quâ supra nudum induimur. Non enim decebat decorem Sacerdotalem, Cyprianum ad interulam vsque nudari; præsertim cum ad hoc non cogeret Magistratus nec carnificina functio postulare. Quid enim ad capitis truncationem necesse erat ad subuculam vsque exui, cum præsertim de eo nullum extet exemplum? Linea igitur Cypriani alia non fuit, quàm commune illud Episcoporum lineum indumentum, quod Ephod alij dicunt, Itali, *Rochetto*.

Lineam sequitur Dalmatica. Quæ genus vestis, ita dicta quòd primùm in Dalmatiâ texta. Indumentum etiam Regibus vsitatum. Vnde apud Lampridium Commodus Imperator scribitur Dalmaticatus, & apud Capitolinum Imperator pertinax.

ET MONACHORVM HABITV. 45  
tinax. Cum autem Dalmaticæ quædam  
essent chyrodæ, siue manicatæ, quæ-  
dam sine manicis, Dalmaticam Cypriani  
fuisse sine manicis, docent alia eius acta  
quæ pro Dalmaticâ tunicam posuerunt.  
*Est enim tunica vestimentum sine manicis,*  
inquit Non. Marcell. Plura de Dalmaticis  
vide apud Baronium. Tertia Cypriani ve-  
stis, lacernum Byrrhum. Ac primùm quod  
pertinet ad lacernum, si Ethnicos consu-  
las, reperiens illud breue indumentum fuis-  
se ad arcendam pluuiam: atque ad hume-  
ros brachiaque tegenda fuisse compo-  
situm, docet Festus.

*In nota  
ad mar-  
tyrolog.  
31. Maij.*

## CAPVT XII.

*Quid Byrrhus. varia vocis illius  
interpretationes.*

**D**ifficiliore est Byrrhi explicatio. Qui-  
dam volunt hâc voce significatum  
lacernæ seu lacerni colorem. Nam notat  
Festus Rufum colorem antiquis dictum  
Burrhum. *Vnde & homines à potatione ru-  
bentes,*

F 3

bentes,

46 DE VETERE CLERICORVM  
*bentes* (inquit) *Burrhos vocamus*. Lacer-  
num igitur Burrhum iuxta hanc inter-  
pretationem, idem quod rufum.

Alij Byrrhum interpretantur sericum.  
Ita Zonaras & Theodorus Balsamon, in-  
terpretantes canonem 12. Concilij Gan-  
gren. his fauet titulus in Codice Iustinia-  
ni. *De vestibus holoberis*. Holoberæ enim  
vestes iuxta Scholium Gottofredi, totæ  
sericæ. Incerta tamen hæc opinio. præ-  
fertim cum ex testimonio S. Augustini  
constet, Byrrhos alios fuisse pretiosiores,  
alios viliores. Deindè titulus in Codice  
Iustiniani iuxta alios, non est, de vesti-  
bus Holoberis, sed Holobaris, secundum  
Bartholum; id est ob intextum aurum  
grauibus. *βαγος* enim græcis; Latinis, gra-  
uis, ponderosus: Aut (vt placet Alciato)  
Holobryzis. eo quod totæ ex auro obryzo.

Tertiò, Lipsius in Amphitheatro, Byr-  
rhos reponit inter pilleos, referens illud  
Vopisci de Carino Imperatore *Donati ab*  
*Atreaticis Byrrhi petiti, donati Byrrhi*  
*Canusini*. Sed cogimur à Lipsio recedere,  
cum

cùm suprâ ex eius auctoritate, veteres tam Clericos quam laicos nudo capite adseruerimus: Byrrhus autem fuerit quotidiana Clericorum vestis.

Molanus quoque censuit Byrrhos seruijsse capiti tegendo, quia hoc faciunt Byrrhetâ. Sed respondeo. Eâdem ratione admittendum fore, veterum pallium capitis indumentum fuisse, quia hoc palliolum erat. Palliolum enim seruijsse capiti tegendo docent exempla quæ retulit Lipsius ac breuiter hic subiicio. Suetonius de Claudio, *Ob valetudinem, gladiatorio munere, nouo more, sedit palliolatus.* Quintilianus verò *Palliolum, sicut & fascias, & focalia, sola excusare potest valetudo.* Denique Seneca, *videbis quosdam graciles, & palliolo ac focali circumdatos.* Quomodo ergo palliolum capitis tegmen erat, non tamen pallium; ita byrrhetum, non byrrhus.

Quartò Alciatus, ex auctoritate Suidæ, Byrrhū interpretatur ἐπεσεν δα, id est, *sagū vestemue qua supra alias induimur.* Cui accedit Baronius, Qui lacernum Byrrhum explicat

*l. i. Pre-  
termiff.*



Binius in  
Notis ad  
Concil.  
Gangr.  
Rosov.  
in Ono-  
mast.

explicat, Byrrhum per modum lacernæ compositum, vt nimirum fuerit species quædam lacernæ. Baronium sequuntur Binius & Profvenda. Qui addit in Glosario veteri Camberonensi, Byrrhum explicari per *pallium villatum, aut mantellum fimbriatum*. Confirmat Baronij sententiam etiam nunc durans Episcoporum habitus. Vnde post descriptas Cypriani vestes subdit citatus Baronius, *hoc genere indumenti videmus hodie vti S. R. E. Cardinales, atque Episcopos illos qui ex regularibus ad illam dignitatem prouecti sunt. Illi enim post vestem superinduunt lineam, & desuper solutam tunicam; & tantum humeros brachiaque tegens, lacernum Byrrhum.*

Quod ad inferiores Clericos attinet, habuerunt quoque illi lineam & Byrrhum. Ac quidem de Clericis S. Augustini est res indubitata. Disertè enim id adfirmat in Sermone de Communi vitâ suorum Clericorum.

*Nemo (inquit) det lineam aut Byrrhum, nisi in communi, de communi accipiam mibi ipsi.*

*ipsi.* Ergo tam ipse Augustinus quam eius Clerici in Lineâ & Byrrho. Hoc habitu etiam nunc vtuntur Canonici Regulares in Belgio, *qui vel solus* (inquit Rosvveida) *eos ex S. Augustini instituto esse declarat.*

Quid? inquires, S. Augustinus in Lineâ & Byrrho? Nullane ergò fides S. Ambrosio testi oculato ac supra omnem exceptionē, qui expressis verbis cucillum ei tribuit & quidem nigrum? *Novum Christianum, novis vestibus, cucullâ nigrâ induimus, cingulo ex corio nos ipsi præcinximus.* Quid apertius?

*Serm. de  
convers.  
S. Aug.  
est inter  
Ambrosianos  
92.*

## CAPVT XIII.

*Digressio de habitu aut veste S. Augustini.  
& responsum motis contra eam obiectio-  
nibus.*

**R**Equirit hæc obiectio breuem disputatiunculam de habitu & instituto S. Augustini, quam hîc infero.

Ac quidem quod de eius habitu ex Ser-  
mone S. Ambrosij adlegatum est, nullius  
omninò momenti esse nimis evidens est:

G cum

50 DE VETERE CLERICORVM  
cùm ex eruditorum iudicio hic Sermo  
Ambrosij non sit, sed hominis *mendacis ac*  
*impostoris*, auctore Baronio. Quid enim  
magis falsum est, quam Augustinum fuisse  
Carthaginiensem, & è pagano Christianum,  
quæ iste Sermo adfirmat? Deinde,  
Quid magis absurdum, quam Augustinum  
recens baptisatum nigro cucullo induere,  
cùm in veteri Ecclesiâ moris inviolabilis  
fuerit, recens baptisatos albis vestire?  
faceffat ergò ille quisquis est tenebrius.

Annal.  
tom 4  
ar. 388.

Sed vrgetur vltteriùs. S. Augustinus  
instituto Monachus fuit, atqui vestis mona-  
stica pulla est, ac inter cæteras sui partes  
cucullum habet, vt ipsi infrà latius de-  
clarabimus. Monachum fuisse docet Pe-  
tiliani exprobratio, quâ obijcit Augusti-  
no; primùm ab eo hoc genus vitæ in A-  
fricâ institutum. Ac frequentem fuisse  
eam calumniam, indicant verba S. Au-  
gustini. *Quid ergò (inquit) dicunt, qui nobis*  
*insultant de nomine Monachorum?*

Vide Au-  
gustin.  
l. 3. cont.  
epist. Pe-  
sil.

in Psal.  
33.

Adde, titulum *Serui Dei*, quo se ipsum  
mox à baptismo S. Augustinus nuncupat;  
pecu-

ET MONACHORVM HABITV. 51  
peculiarem ijs qui vitam monasticam pro-  
fitentur.

Denique monachū fuisse probat Regu-  
la monastica per eum Simpliciano accius  
fratribus præscripta, neque enim est ve-  
rosimile eum id præscripsisse quod non di-  
dicerat.

Lancelot.  
l. 2 vita  
S. Aug.  
cap. 7.

Vt hic explicē quod sentio, primò Le-  
ctorem rogo, ne quid existimet me spiri-  
tu contradictionis, aut contentionis adse-  
rere. Odi enim *animositates illas & pug-  
nas verborum*, iam olim per Apostolum  
præindicatas. *Et si quis videtur contentio-  
sus esse, nos talem consuetudinem non habemus.*  
Sed existimaui in re obscurâ cuique  
liberum esse in suo sensu abundare. Ac  
malui Augustinum de se, discipulum de  
Magistro loquentem sequi, quàm quem-  
vis alium.

Vide etiā  
quæ in-  
frā dicitur  
p. 3.  
huius  
libri.

.Cor.  
12.  
1. Tim. 6

Dico igitur primò. D. Augustinum  
mox à conuersione, concepisse quidem  
animo propositum ineundæ vitæ mona-  
sticæ propriè dictæ; qualem nimirum du-  
xerat magnus ille Antonius, in cuius ex-

G 2

emplum

Confess.  
l. 8. c. 6.

emplum sibi per Potitianum propositum  
mirabiliter exarserat : nunquam tamen  
(Deo aliò vocante) executum esse. Ducor  
testimonio ipsius Augustini , qui de se in

ultimo

decimo Confessionum scripsit. *Conterritus peccatis meis & mole miseriae meae agita-  
ueram in corde, meditatusq; fueram fugam  
in solitudinem : sed prohibuisti me, & con-  
firmasti, dicens. Ideò pro omnibus Christus  
mortuus est, ut qui viuunt, iam non sibi vi-  
uant, sed ei qui pro omnibus mortuus est.*

Quæ verba videntur præ se ferre, cogitasse  
quidem S. Augustinum adsumere insti-  
tutum Monachorum, quibus in more est,

Psal. 54.

*elongari, fugere, manere in solitudine: sed sen-*

3. Cor. 1.

*sisse aliò urgere Christi charitatem : ad cu-  
ram nimirum & lucra animarum. Vnde*

*in nullo libro, qui eius extra controver-  
siam sit, inuenitur Monachum se vocare,  
aut illius vitæ professoribus se iungere:*

Epist. 76.

*quin contra in Epistolâ ad Aurelium, di-  
fertis verbis à monachis se discernit, &  
Clericum profitetur. Nimis, inquit, do-  
lendum est, si ad tantam superbiam mona-*

*chos*

nachos surrigamus, & tam graui contume-  
 liâ Clericos dignos putemus, in quorum nume-  
 ro nos sumus. Et ne quem moueant Ser-  
 mones ad fratres de Eremo, monendum  
 censui Lectorem rudiorem, eos non esse S.  
 Augustini. Ab eruditis enim iam dudum  
 vt spurij proscripti sunt. Ac eorum Au-  
 ctor Baronio viro profundissimi iudicij,  
*frigidus fictor, fabulosa ac delira effutens* Ad ann.  
385.  
*somniator, & portentosorum mendaciorum  
 blatterator,* dicitur.

Et vt argumentum contrariæ opinionis  
 in ipsos aduersarios retorqueamus: Non  
 tantum ob Petiliani obiectionem Augu-  
 stinus Monachus adserendus non est: sed  
 contra, ob Augustini responsionem, mo-  
 nachus negandus est. Sit ergò verum, vo-  
 luisse Donatistam illum, genus monasticæ  
 vitæ per Augustinum in Africâ institu-  
 tum: sed id voluit falsò. *Nam qui hoc di-*  
*cit* (inquit ipse Augustinus respondens)  
*omninò quale sit nescit, aut toto orbe notissi-*  
*imum nescire se fingit.* Quasi diceret. Mani-  
 festam esse in eâ Petiliani obiectione in sci-

*Quando  
 Augu-  
 stinum  
 nego mo-  
 nachum  
 semper  
 intelligo,  
 principa-  
 liori in-  
 stituto, à  
 quo su-  
 menda  
 denomi-  
 natio, &  
 in quo  
 vis argu-  
 menti  
 sit.*

54 DE VETERE CLERICORVM  
tiam aut malitiam: cum res ipsa & facti e-  
uidentia Augustinum doceret Clericum:  
ac multum distare inter Monachum &  
Clericum, esset toto orbe notissimum. Et  
quod aliqui addunt, etiam à Secundino  
Manichæo, nigras ei vestes exprobratas;  
huc vsque non adducor vt credam: quia  
nihil tale in Epistolâ Secundini reperi-  
o. Monet quidem in suâ Epistolâ Secundinus  
Augustinum, vt caueat, ne aut cum fatuis  
virginibus regno excludatur, aut cum ho-  
mine qui se conuiuio nuptiali nigris vesti-  
bus ingesserat, proijciatur in tenebras ex-  
teriores: sed quid hoc ad intentum? Aut  
quæ consequentia, Secundinus Mani-  
chæus, hominē non indutū veste nuptiali,  
interpretatur indutū nigrâ veste, ergò Au-  
stinus erat in nigrâ tunicâ & cucullo?  
Nihilò magis me mouet adlegata de Mo-  
nachorū nomine per hæreticos facta insul-  
tatio. Quia non est facta soli Augustino  
(quomodo aliquid probaret) sed vniuer-  
sim omnibus Catholicis. Quomodo etiã  
hodie, de nomine Paparum, Monachorū,  
Iesui-

Iesuitarum, Catholicis insultant Hæretici. nimirum, patrem sequitur sua proles. Sed nūquid ideò omnes Papæ, Monachi, Iesuitæ? Titulus quoq; *Serui Dei*, nihil huc vsque me cogit, vel ob solā hanc S. Augustini auctoritatē, qui hoc elogio honorat Simplicianum, nō Monachū sed Ecclesiæ Romanæ clericū, auctore Baronio, teste irrefragabili. Adde exēplū alterum, Nepotis S. Augustini; quē ipse S. Pater *Seruū Dei* vocat, cū esset Clericus Subdiaconus Ecclesiæ Mileuitanæ. Fateor quidē cōmuni hoc epitheto significatos monachos: ita tamen vt eis quoq; cōmunicatum fuerit, qui cōtēptā felicitate terrenā, relictā spe huius sæculi, & facultatibus proprijs Ecclesiæ aut pauperibus erogatis, Deo in Clericatu, aut in statu laicali, etiā nullā emissā professione monachicā, militabant. Exemplum sit B. Ludgerus quem eius Acta frequenter titulo *Serui Dei* honorant, tribuuntq; ei omnē monasticæ vitæ disciplinā exercitationesq; asceticas; quāuis vt eadē Acta loquuntur, *nunquā regularē professionē fecisset;*  
*sed*

18. Com.  
 f. 6. 1.

Serm. 2.  
 de cōmuni  
 ni vita  
 Cleric.



Exemp.  
225.
Ep. 225.
Baron.  
anno  
519.
*sed sub canonico habitu, Monachorū vitam perfectè implet. Exemplum prætereà sit, Pinianus, cuius sanctissimam ad seruitutem Dei conuersionem, Augustinus magnificè prædicat. Si in me (inquit) dilexerunt Hipponenses, quod audierant, paucis agellulis contemptis, ad Dei liberam seruitutem fuisse conuersum: quanto flagrantius in nostro Piniano amare potuerunt, tantam mundi huius cupiditatem, tantas opes, tantam spem, tantà conuersione superatam atque calcatam? Nec tamen tunc Pinianus monachus erat, sed adhuc cum vxore cōtinenter tamen, viuebat. ac tunc demùm monachus effectus, quando ex Africâ Ierosolymam, Ierosolymâ in Aegyptum, Aegypto rursum Ierosolymam peregrinatus est, vt docet Baronius. Fateor, antea vixisse vt monachum, si spectes mundi ac deliciarum contemptum. Fecit id quoque B. Ludgerus, ac mox à conuersione fecisse S. Augustinum omninò contendimus. Sed aliud est vt monachum viuere, aliud propriè habitu & professione monachum esse.*

esse. Taceo, quod Sanctus Augustinus, Clericos suos frequenter & passim vocat Seruos Dei. Clericos, inquam, suos, de quibus, dixit, *volui habere in ista domo Episcopi mecum monasterium Clericorum*. Ita eos vocat in Sermonibus quos de eorum vitâ habuit ad populum: In actis per Notarios exceptis de Eradij electione, in Epistolâ ad Albinam & alibi. Hoc interim illis Clericis erat peculiare, quod clericatui iunxerant monasticen, vt infrâ doceo.

Serm. 1.  
de cōmiss-  
ni vica  
cleric.

Acta illa  
habes  
ep. 118.  
ep. 225.

Atque vt animi mei sensum de Augustini vitâ per triennium post conuersionem transactâ, aperiam: censeo (paratus à quouis æquo iudice corrigi) talē tunc vitam egisse, qualem ex parte conceperat iam ante conuersionem, & breuiter descripsit Confessionum suarum libro sexto. cap. 19.

*Multi, inquit, amici agitaueramus animo, & colloquentes ac detestantes turbulentas humana vitæ molestias, penè iam firmaueramus, remoti à turbis ociosè viuere: id otium sic moliti, vt si quid habere possemus, conferremus in medium; vnamque rem familiarem*

H

con-

58 DE VETERE CLERICORVM  
*constarem ex omnibus. ut per amicitia sinceritatem, non esset aliud huius, aliud illius, sed quod ex cunctis fieret unum, & uniuersum singulorum esset, & omnia omnium.* En vitam ab Augustino nondum Catholico sed verius Academico meditatam, iuxta Platonis fortè placita: & mox à conuersione, non Platonis sed Christi & Apostolico exemplo executioni mandatam. Quam eius vitã paucis insinuat Ecclesia quando de eo canit, *Post mortem matris reuersus est Augustinus ad agros proprios, ubi cum amicis, ieiunijs & orationibus vacans scribebat libros & docebat indoctos.* In quibus agris iam communibus per triennium constitutus mansit, auctore Possidio. Ut meritò à Volaterano ac quibusdam alijs recedamus, qui ei, in nescio quã solitudine aut nemore, sine firma aliqua authoritate, monasterium ædificauerunt. Quis enim non dicat potius credendum Augustini discipulo, testi oculato, ac per annos quadraginta contubernali, quam ei qui & ætate fuerit recentior & authoritate

tate

tate infirmior? Hæsit ergo in isto suo rure paterno per triennium, quærens interea locum monasterio idoneum. Habebat enim (vt dixi) vitæ monasticæ ineundæ propositum. Docet ipse in Sermone primo de vita suorum Clericorum. *Iuuenis, inquit, veni ad istam ciuitatem, & quærebam ubi constituerem monasterium. Spem quippè omnem sæculi abieceram.* In quo monasterio non exstructo sed extruendo, sperauerat commilitonē habere ciuem illum Hipponensem; cuius lucrandi gratiâ Hipponem venerat, quando B. Valerius nihil tale suspicantem, & reluctantem in clerum adoptauit, & presbyterum ordinauit.

Insinuat ipse in Epistolâ ad Valerium <sup>ep. 146.</sup> his verbis. *Tunc ordinatus sum cum de ipso actionis tempore ad cognoscendas diuinas Scripturas cogitaremus, & sic nos disponere vellemus, vt nobis otium ad hoc negotium esset.*

Cogitabat ergo Augustinus, quando inopinatò ordinatus est, vitam siue

H 2

sanctum

60 DE VETERE CLERICORVM  
sanctum otium monasticum, sed nondum  
in eo erat.

Infirmum quoque argumentum pro  
adstruendâ Augustini nigrâ veste sumitur  
ex regulâ monasticâ Simpliciano ac eius  
fratribus per Augustinum præscripta.

Pauci enim hoc adsumptum admis-  
suri sunt. Quis enim credat hominem se-  
nem in scientiâ tam sæculari quam Eccle-  
siasticâ versatissimum, & *longâ ætate in  
tam bono studio sectanda via Dei multa  
expertum, multa edoctum* (sic de eo loqui-  
tur ipse S. Augustinus) suscepisse regulam  
viuendi ab homine iuvene, in fide recens  
iam renato, in Scripturis adhuc rudi, in  
via disciplinæ religiosæ nouitio? Autho-  
res siquidem huius opinionis regulam  
Simpliciano dictatam volunt ab Augusti-  
no in Italia adhuc agente, & mox à ba-  
ptismo. Præterea quis sibi facilè persua-  
ferit hominem neophytum, & quem  
Apostolus vetat Episcopum fieri, *ne in su-  
perbiam elatus in iudicium incidat diaboli,*  
præsumpsisse docere doctorem Episcopo-  
rum?

lib. 1.  
Confess.  
cap. 1.  
Vide S.  
Ambros.  
ep. 2. qua  
est ad  
Simpli-  
cianum.

ET MONACHORVM HABITV. 61  
rum. Hoc quippè erat Simplicianus: mis-  
sus nimirum Româ Mediolanum à Papa  
Damaso, futurus Ambrosio in Episcopalis  
officij tyrocinio director & instructor. <sup>Baron.</sup>  
Vnde eum S. Augustinus vocat, *Patrem* <sup>sup.</sup>  
*in accipiendâ gratiâ Dei Episcopi Ambrosij.* <sup>l. 8. c. 3.</sup>

Nemo tamen existimet ob ea quæ iam  
diximus, velle nos negare, Augustinum  
authorem fuisse, monachismi in Africam  
inuecti, ac ibidem copiosè propagati:  
Item, fuisse eum aliquo in sensu Mona-  
chum. Fuit enim Monachus qualis Euse-  
bius Vercellensis: iunxit enim Clericatu  
monasticen. De quo latius infrâ suo loco.  
Auctor fuit Monachismi in Africâ, quo-  
modo Athanasius author eiusdem in occi-  
dente. nimirum institutum monasticum  
quod Romæ, Mediolani, & alibi vi-  
derat, ac ipse concupierat prædicando,  
commendando, fouendo, nutriendo,  
atque autoritate Episcopali dirigen-  
do. Ità enim quotidie loquimur quan-  
do dicimus: Talem Episcopum Diæ-  
cesi suæ inuexisse Patres Franciscanos,

H 3

non

non quia illius instituti conditor, sed quia aut locum ædificando monasterio adsignavit, aut ipse ædificauit: item, instituisse Patres Societatis, quia eo vocauit, quia primum collegium struxit, quia prædijs, redditibus dotauit. Quæ omnia illis temporibus verissimè Episcopis tribuebantur. quãdo ignota Monachorum ab Episcopi iurisdictione exemptio: quãdo Episcopus proprijsimè Monachorum prælatus, Doctor, nutritor. *Erat* (inquit S. Augustinus) *Mediolani monasteriũ plenum bonis fratribus sub Ambrosio nutritore, & non noueramus*. Quæ vltima verba observet lector. Sunt enim qui existimēt huius monasterij Monachũ fuisse Simplicianum: sed falluntur. Iam enim antea adierat Augustinus Simplicianum, iam ei narrauerat circũitus errorum suorũ; nec tamen Ambrosij monasterium nouerat. non ergo in eo monasterio Simplicianus. Et quod amplius est. Nec ipsum institutũ monasticũ Augustinus tunc nouerat. Docet ipse, imò veriùs inculcat. Et verba refero. *Ortus est sermo narran-*

S. Conf.  
cap. 8.

Confess.  
l. 8. c. 1.

sup. c. 6.

narrante Potitiano de Anthonio Aegiptio  
 Monacho, cuius nomen excellēter clarebat a-  
 pud Seruos tuos, nos autē vsque in illā horam  
 latebat. Indē sermo eius deuolutus est ad mo-  
 nasteriorum greges, & mores suaueolentia  
 tua, & vbera deserta Eremiti, quorū nos nihil  
 sciebamus. Apertissima cōfessio est. Vt mihi  
 mirum sit potuisse viros eruditos sibi per-  
 suadere, Simplicianum rogasse Augustinum  
 iam recens baptisatum vt scripto sibi suisque  
 traderet aliquam viuendi normam, qua ve-  
 terum Monachorum consuetudini foret ac-  
 commodata. nō quod diffitear, hęc omnia  
 ab Augustino mox à conuersione etiam  
 ante baptismum perscrutata. sed docente  
 non discente Simpliciano, ad quem perre-  
 xerat vt proferret cōferenti secū astus suos,  
 quis esset aptus modus sic affecto, vt ipse erat,  
 ad ambulandum in via Dei, in quā alius sic,  
 alius sic ibat. Atqui (inquiunt) frequēter S.  
 Augustinus in Schemate & habitu nigro,  
 quali hodie vtūtur Eremitæ Augustiniani,  
 per visionē pluribus apparuit. Sed (vt pace  
 eorū dixerim) infirmū hoc argumentū est.

Lancelot.  
 lib. 2.  
 vita  
 S. Aug.  
 cap. 7.

S. Conf.  
 cap. 1.

Ac



Ac obseruo, Christum, Deiparam, aliosq; Sanctos viuentibus apparentes, quandoque præter corporalem quam oculis ingerunt speciem, intendere habitu suo alicuius mysterij significationẽ: quandoque autem nudam sui cognitionem.

Vbi primum intendunt, certum est ex huiusmodi apparitione nihil posse concludi, de habitu quem hic in carne gestarunt. Neque enim ideo Christus habitu peregrini incessit quia talis discipulis in Emaus euntibus apparuit. *Sed hoc Dominus egit* (inquit D. Gregorius) *foris in oculis corporis, quod intus apud ipsos agebatur in oculis cordis*. Peregrina nimirum de se cogitantibus, peregrini speciem exhibuit. Petro Alexandrino Christus in tunicâ scissâ per visionem adfuit; quam tamen nec ipsi milites sciderant, quia inconsutilis erat. Sed in tunicæ scissione detestanda Arrij hæresis præsignata est, Ecclesiam diro schismate paulò post diuisura.

*Ioan. 19.*

Si secundum intendunt: nec tunc in habitu eo, quo viuentes hîc vsi fuere, necesse

cesse

cessè est eos apparere. sed eo qui familiaris sit, ac internosci possit ab eis quibus apparenti tali nimirum, quali eis visi in picturis aut statuis . Ita virgo Deipara frequentius visa in cultu reginæ ac habitu splendidissimo; quandoque in veste religiosa, & ferè tali quali multæ vtuntur Sanctimoniales. nimirum talem multæ eam exprimunt picturæ. Fateor igitur, S. Augustinum in veste nigrâ quandoque apparuisse, quia cum tali habitu Eremitæ Augustiniani, in suarum Ecclesiarum picturis soluerunt iamdudum exprimere.

Et quam multa transiere sæcula, quibus passim S. Augustinus pingitur ad litus maris meditabundus, cum adstante sibi puerulo, nitente totum mare in effosam à se scrobem transportare? Hanc tamen picturam Molanus confidenter reprobat. Molanus inquam, cuius eruditionem tãti fecit Cardinalis Baronius, vt dixerit, de eius scriptis *nec breuem scedulam deperire æquanimiter se passurum*. Si tamen à picturis & imaginibus authoritas peti-

Lib. 2. de picturis.

In praecapitulo de Martyrolog. cap. 2.

I tur,

refert  
Iohannes  
de Bri-  
xel. in  
venato-  
torio  
Carn.  
reg.

tur, *Eatur* (inquit Dominicus in suo defensorio) *ad antiquas imagines ante annos ducentos depictas & videbitur Augustini imago, nec scapulare, nec cucullam habere. Eatur Romam in Basilicam S. Mariæ maioris, & verum me dixisse comprobabitur. Et si tanta via tedeat. Eatur Mediolanum, in B. Ambrosij dignissimum templum, & videbitur me dicere verum.*

op. 248.

Si quæras. Quali ergo habitu monachi illi vsi, quos Africæ Augustinus invexit? Respondeo . Tali quali S. Fulgentius, de cuius veste quædam inferius noto. S. Augustinum in lineâ & byrrho (habitu nimirum Clerici) incessisse, iam ex' eius testimonio dictum . Addo quod scribit in Epistolâ ad Sapidam, induisse se tunicam Timothei Clerici & Diaconi Carthaginiensis, quam ei Sapida Timothei tunc defuncti soror, dono miserat . Vfus ergo est veste clericali, quam non adsumpsisset, si ei ante clericatum fuisset habitus monasticus . Antiqua enim est consuetudo, quam factò expressit S. Fulgentius , &  
huc

huc vsque durat ; vt monachi etiam ad  
 Episcopatum adsumpti , habitum sui in-  
 stituti retineant. Vtuntur quidem hodie  
 Eremitæ Augustiniani nigrâ tunicâ &  
 cucullo : sed eum habitum non acce-  
 pisse à Sancto Augustino euidenti argu-  
 mento est , quod eo demum vsi , saltem  
 vniuersim , sub Innocentio I V. Antea  
 enim non erat illis Eremitis vna aliqua  
 conformis aut concolor vestis : sed vr-  
 gente Innocentio elegerunt eam quàm  
 nunc habent : ac mutare prohibuit Ale-  
 xander I V. Innocentij successor . Cuius  
 quoque iussu regula S. Augustini ab ijs ad-  
 sumpta est ; & exinde omnes generatim  
 Augustiniani dicti : cum antea in diuersas  
 congregationes dispertiti , quidam eorum  
 dicerentur S. Augustini , quidam S. V Vil-  
 helmi , quidam F. Iohannis Boni , &c. De-  
 cretum Alexandri refert ex Tonssignano  
 Bzouius.

Redeo in semitam.

## CAPVT XIV.

*Non tantum Clericos S. Augustini, sed & alios fuisse in lineâ & byrrho.*

Clericos veteres in byrrho & lineâ fuisse non tantum in Africâ & Ecclesiâ S. Augustini, sed etiam alijs: facile sibi persuadebit, qui considerarit S. Augustinum morem vitæ per se ac suos Clericos in itæ, non tam excogitasse, quam aut inuenisse, aut ab Ecclesiâ Mediolanensi in quâ Christianam disciplinam, sub magisterio ac directione SS. Ambrosij ac Simpliciani primùm hausit, aut alijs Italiae Ecclesijs mutuatum fuisse. Sanè in Ecclesiâ Gallicanâ Clericis fuisse vsum byrrhi, constat testimonio Sulpitij Seueri, vbi in quorundam Ecclesiasticorum luxum excurrens, *Byrrhos rigentes reprehendit*. Ad-  
do, Paullò post tempora S. Augustini, pluribus locis Clericorum ordinem iuxta eius normam fuisse reformatum. Sancti enim Prosper & Gelasius, magni instauratores

*Dial. 3.  
cap. 14.*

ET MONACHORVM HABITV 69  
ratores ordinis canonici, Sancti Augustini  
discipuli & æmulatores fuerunt.

Descendo ad Clericorum calceamenta.

C A P V T X V.

*Varia descripta calceamenta, ac calceamen-  
torum vanitates, quid Crotalum, Cro-  
talia.*

**A**C pro dicendorum intellectu præ-  
mitto, veteribus fuisse diuersi gene-  
ris calceamenta. Ac quædam eorum à  
colore nomen sortiebantur; hinc calcei  
puri, mullei, galbei, ederacini: Quædam  
erant depressiora, vt Socci: quædam ele-  
uatiore & subere suffulta, vt Cothurni:  
quædam totum pedem vsque ad medium  
crus tegebant (veteres enim vt ex Festo  
plerique notarunt, calceis tibiatis induc-  
bantur) vt communiores calcei, perones,  
caligæ. Significarunt enim illæ frequen-  
tius veteribus calceamenti genus, ac qui-  
dem crassius, quodque valeret contra hu-  
mectiones ac cænum. Vnde à militibus

I 3

vsitatum

vsitatum, ac ab eâ nomen inditum Caio Germanici filio. *Caligula cognomen* (inquit Sueton.) *castrensi ioco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur.* Et Sextus Aurelius, *Quia in exercitu natus fuerat, cognomen calceamenti militaris sortitus est.* Quædam solas plantas tegebant vt Sādalia, Crepidæ, Gallicæ, ac generatim Soleæ. Ita apud Agellium *soleatos dixit Castritius, qui gallicas haberent.* Et scitè profecto atque incorruptè *Castritius locutus est,* (inquit Agell.) *Omnia enim fermè id genus, quibus plantarum calces tantum infimè teguntur, cetera propè nuda, & teretibus habenis iuncta sunt, soleas veteres dixerunt.*

Noth.  
Att. l. 12  
asp. 21.

Targu.  
Gen. 14.  
Isaie 17.  
Cant. 7.

AA. 12.

De Sandalijs tamen noto. Ijs quoque significatos cōmunes calceos. In ea significatione frequentius hoc vocabulo vtitur Chaldaicum Targum, prout in suo Thisbi monet Elias, additque inde Rabbinum quendam nominatum Hassendalar, id est calceolariū. In eum quoq; sensum videtur interpret noster in Aētis vertisse. *Calcea te caligas tuas.* In Græco est, *Sandalia tua.*

Fuerunt

Fuerunt quoque calceamentis sui ornatus. Ac primùm à colore. Inde veterum Imperatorum calcei coccinei, cæterorum virorum albi. Et quia plures à veteri more muliebriter abierant, Aurelianus Imperator apud Vopiscum, *calceos mulleos, cereos, galbeos* (ita lego ex Lipsij correctione. non, albos) *ederacinos, viris abstulit mulieribus reliquit*. Nobiliores Romæ ex Numæ instituto in calceis lunulas, notam centenarij numeri, quia eo tempore Patricij Senatores centum numero erant, gestarunt: ac temporibus Constantini magni, Senatores Candidalintea: vt infra visuri, quando de Romanorum Clericorum compagis.

In calceorum ornatu exorbitarunt non tantum Gentilium, sed etiam Hebræorum mulieres. Hinc grauis illa contra eas Isaia comminatio. *Pro eo quod* <sup>cap. 3.</sup> *elevatae sunt filia Sion, ibant & plaudebant, & pedibus suis composito gradu incedebant; auferet Dominus ornamentum calceamentorum*. Vbi obseruant. Interpretes  
 varias



varias calceorum notatas fuisse vanitates. In eo enim quod *elevata* dicuntur, significatum, cothurnatas siue calceis subere subleuatis incessisse, quo longiores ac specie angustiore apparerent. Factitatum idem Romæ ostendit Satyricus, quando ridens puellam pumilam scripsit,

*breviorque videtur*

*Virgine pigmæiâ, nullis adiuta cothurnis.*

In eo verò quod *ibant* & *plaudabant*, notata existimant, calceamenta crepitantia. Eò enim venisse luxum muliebre ut calceis suis crepitacula adnecterēt, scripsit Plinius.

l. 9. c. 35.  
vide  
quoque  
Cicronē  
in Pison.  
de Gabi-  
nio.

Addens, in eum finem, mulieres passim soluisse, *non tantum crepidarum obstragulis, sed totis socculis margaritas* addere, ut nimirum earum collisu pulsus & sonitum excitarent: *Quod* (inquit) *cum fecere, Crotalia appellant, ceu sono quoque gaudeant & collisu ipso margaritarum.* Crotalum enim pulsus significare ac quidem numerosum, aut instrumentum musicum, indicat illud Virgilij,

in Copa.

*Copa Syrisca caput Graiâ redimita mitellâ,  
Crispum*

*Crispum sub crotalo docta mouere latus.*

Denique gradum compositum, indicia adfectus libidinosi habuisse indicauit Clemens Alexand. ac ex eo aduertit Sanchez. nimirum Calceis acutos clauos infigebāt, Sanchez in c. 3. isaie. tali compositione, numero, & ordine; vt terræ aut solo infixi amatorium aliquid signarent. *Quin etiam* (inquit Clemens) Pedag. l. 2. c. 11. circumcirca clauos infigere soleis æquum cencensent: multas autem eis amatorias salutationes imprimunt, vt vel per terram numerosè incedentes (en gradum compositum) meretricios spiritus in incessu insculpant. Hæc præmisisse sufficiat.

## CAPVT XVI.

*Christus calceatus incessit, aut saltem Sandalijs usus. Satis fit rationibus contra adlatis. quid Gallicæ.*

**R**Edeò ad Clericos. & quæro, An veteres eorum calceati? Facilis fuerit responsio, si Christus probetur calceatus. Quod ego de eo existimo: aut saltem

K quan-

in 3 p.  
som. 2.  
di/p 28.  
sect. 3.

Mat. 11.

quandoque calceatum fuisse, quandoque  
soleatū, vt vult Suarez. Adsertionis cōfir-  
matio nobis inde fumitur, quod Christus  
modum viuēdi inierit communem: tem-  
peratissimum tamē; & qui plus seueritatis  
haberet, quam remissionis. Docuit ipse a-  
pud Matth. *Venit Iohannes neque mandu-  
cans, neque bibens, & dicunt, demonium ha-  
bet. Venit filius hominis manducās & bibens,  
& dicūt: Ecce homo vorator, & potator vi-  
ni: publicanorum, & peccatorū amicus.* Qui-  
bus verbis apertissimis docuit victum sibi  
fuisse cum vulgo communem. Si victus  
ergò & amictus. Vtriusque enim eadem  
est ratio: quod nimirum ita cōueniret dis-  
pensationi carnis assumptæ, in quâ venci-  
rat omnibus omnia fieri. At qui Iudæos  
calceatos incessisse extra controuersiam  
est, ita vt seueri eorum Essæi id fecerint,  
cum hoc tamen rigore, quod calceos non  
mutarent, nisi aut omninò conscissis priori-  
bus, aut longi temporis vsu consumptis. Et  
sanè si aut in victu aut in amictu Christus  
præ se tulisset inusitatam austeritatem,

Ioseph.  
de Bello;  
l. 2. c. 7.

non

non hoc tacuissent Euangelistæ, qui disertis verbis Iohannis zonam pelliceam, vestem è pilis camelorum, locustas, mel siluestre retulerunt. De hac Christi viuendi ratione loquens D. Thomas, eleganter dixit. *Homines dupliciter attrahi ad bonam vitam. Quidam enim per speciem sanctitatis, alij per viam familiaritatis. Dominus & Iohannes diuiserunt sibi duas vias. Iohannes imo Dominus per Iohannem elegit viam austeritatis: per se elegit viam lenitatis.*

Quid ergo (inquiunt) inhibuit Discipulis suis calceamenta portare? Sufficit enim ex ipsius Christi doctrinâ, *discipulo, si sit sicut magister eius*. Respondit S. Augustinus: Inhibitionem illam habere intellectum mysticum, ac per calceamenta intelligit. *Opera mortua. Nam de ijs calceamentis quibus ambulamus (inquit) consolatur me idem Dominus meus. Si enim ipse calceatus non esset, non de illo Iohannes diceret, Non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius.* Vbi S. Pater sug-

gerit alterum pro nostrâ adsertione argumentum ex verbis Iohannis petitum, licet enim aliqui existiment argumentum hoc leve, eo quod verba illa Iohannis vulgare prouerbium contineant, *ac si dicas* (inquit Tom. 4. p. 1. tract. 6. Salmeron) *Non sum librum ei aut matulam dignus portare, etiamsi is nec libro, nec matulâ utatur*: licet (inquam) hâc ratione vim huius argumenti eleuent, nobis sufficit pondus habere à S. Augustino. Alia responsio est. Non fuisse prohibita nisi calceamenta duplicia: in eum sensum quo antè præmiserat, *neque duas tunicas*.

Tertiò. Præceptum fuisse temporale, ac eâ tantùm vice obligasse: & reuocatum à Christo Domino vbi dixit. Luc. 22. *Quando missi vos sine sacculo, & perâ, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? Sed nunc qui habet sacculum tollat similiter & peram*. nec enim necesse fuit expressim calceamenta nominare, satis illa in sacculo & pera intellecta sunt. Aduerto autem nec in primâ Mat. 6. illâ missione, quando discipuli bini missi in omnem ciuitatem quo erat ipse venturus,

rus,

rus, incessisse nudis pedibus, sed, vt dixit Marcus, *calceatos sandalijs*. Ratio esse potuit, Quia cum hoc iter minus difficultatis habiturum esset, paucioraque ex viarum asperitate impedimenta, breuiorisque futurum moræ, quam quando missi in mundum vniuersum; melius ei congruebant Sandalia, vtpote magis expedita, quam calcei communes: qui, quia ad medium crus protendebantur, impeditiores erant, quamuis seruirent viæ difficiliori, saxosæ, asperæ, sentosæ. Discrimē hoc inter Sādalia & calceos communes expressit Cicero. <sup>in 2. Phil.</sup> Qui interrogatus quomodo in urbē rediisset, vt ostenderet nihil se præmaturè festinasse, *In calceis* inquit *& toga*. Habitu nimirū domestico & urbano. Cōtrā de Antho-  
nio, *In gallicis & lacernā cucurristi*; habitu scilicet expedito, & supra monuimus tam gallicas quam sandalia species esse solearū.

Secundò obijciunt. Si non erat Dominus nudis pedibus, quomodo mulier peccatrix *stans retro secus pedes eius, lacrymis eos rigauit, capillis ter sit, osculata* <sup>Luce 7.</sup>

*est, unguento unxit?* Obuia est responsio,

*vide Lip  
siam l 3.  
Antiqq.  
l 3.*

veteres mensæ accubituros, posuisse siue soleas siue calceos, ne lectos aut thoros conspurcarent. huc facit illud lepidi Poetæ.

*Deposui soleas, adfertur protinus ingens,  
Inter lactucas oxygarumque liber.*

Obijciunt tertio, diuisionem vestimentorum Christi, in quâ nihil de caligis aut calceis. Sed is merus scrupulus est: quasi verò caligæ vestimentum non sint.

Concludo igitur Christum calceos habuisse quales cæteri Iudæi: nec Apostolorum vsu interdictum, nisi fortè præcepto temporali, de quo iam dictum. Vnde, neque vllum ab eorum exemplo, contra veterum calceos, adferri potest præiudicium: fuitque veteribus Clericis libera eorum gestatio. Declarauit de se S. Augustinus loco citato, ac de eo adseruit Possidius.

*in vita.*

CA-

## CAPVT XVII.

*Seueriores quidam Nudipedes.*

**F**Ateor tamen quosdam primorum Christianorum commendasse in viris pedes nudos. Ita censuerunt Clemens in Pedagogo, Tertullianus in Pallio. *Viro* <sup>pedag. l. 2. cap. 13</sup> (inquit Clemens) *pulchrè conuenit nullos habere calceos, praterquam si militet. Calceatum enim esse non paruum affinitatem habet cum eo quod est esse ligatum. Optimum quidem exercitationis genus est, nudis uti pedibus, & ad sanitatem, & expeditam facilitatem.* De sanitate idem docuerat Plato, qui <sup>Hieron. in Mats.</sup> (auctore Hieron.) *precepit duas corporis partes non esse velandas, nec assuescieri molli- tici capitis ac pedum. cum enim hæc habue- rint firmitatem, cetera robustiora sunt.* Tertullianus verò Calceos vocat, *Immun- dissimam pedum tutelam, verum & falsam. Quem enim non expediat in algore & ardore rigere nudipedem, quam in calceis unguipedem?*  
*magnum*



*Ve  
cipes  
à calceis  
vntis.*

*magnum incessui munimentum sutrina ve-  
neria prospexere, perones effeminatos. Ita illi  
vterque seuerè. Sed nec à monachis, ne-  
dum Clericis recepti.*

Videntur verò Clerici aliud à mona-  
chis habuisse calceamentum. Ita colligo  
ex Actis S. Fulgentij, quæ dicunt; Fulgen-  
tium è monacho Episcopum factum, *nec  
ipsa calceamenta suscepisse Clericorum: aut  
vltimis caligis tempore hiemis, aut caligulis  
tempore æstatis vsum.*

## CAPVT XVIII.

*Clericis Romanis fuit peculiare calceamen-  
tum, quedamque alia ornamenta. Quid  
Compages. Vdones. Mappule. Miappa.*

*apistola-  
rum l. 7.  
c. 28.*

**O**bseruo præterea, Clericis Romanis  
peculiariter concessum, Compages  
induere. Quare iussit S. Gregorius corripi  
Diaconos Ecclesiæ Cathanensis, *quod cal-  
ceati compagis præsumpsissent incedere.* Quale  
genus calceamenti Compages fuerint mi-  
hi non satis constat. Si vocis etymologia  
atten-

ET MONACHORVM HABITV 81  
attendatur Compages dicti videtur, quod  
plantæ habenis teretibu, vt loquutus est  
Agellius, aut obstragulis, vt Plinius, com-  
paginantur. Glossa ad cap. Peruenit, quod <sup>dist. 93.</sup>  
est Gregorij Magni, epistolâ iam citatâ,  
Compages interpretatur Sandalia aut ca-  
ligas Episcopales.

In eâ picturâ, quam accuratè descripsit  
Iohannes Diaconus ac in suis Annalibus <sup>tom. 7.  
an. 607.</sup>  
expressit Baronius, quæque ad viuum ex-  
primit S. Gregorium & vtrumque eius  
Parentem Gordianum tunc Ecclesiæ Ro-  
manæ Presbyterum, ac Syluiam, solæ ap-  
parent calceorum extremitates: videntur-  
que in eâ parte quæ supra pedem est, pro-  
fundius incisi. habuisse verò elegantio-  
rem suffulturam ex panno lineo candido,  
ego coniecto, quod existimem ornatum  
hunc originem ducere à Constantinianâ <sup>apud  
Grat.  
dist. 98.</sup>  
constitutione, in qua Imperator, *Sicut Se-  
natus noster calceamentis utitur cum Vdo-  
nibus, id est, candido linteamine illustratis;  
sic utantur et S. R. E. Clerici.* In Græco  
nihil habetur de Vdonibus, vt notatur in

L                      recen-

82 DE VETERE CLERICORVM  
recentiore Decreti æditione quæ iussu  
Gregorij XIII. facta est, sed tantum, *Cal-  
ceis cum linteis albis*. Vdones enim potiùs  
certum genus calceamenti, quam calceo-  
rum ornatus. Vnde apud Martialem, *Vdo-  
nes cilicij*. De quibus ipse in Apophor.  
*Non hos lana dedit, sed olentis barba mariti,  
Cyniphio poterit planta latere sinu.*

Obiter hîc addo, præter Compages fuisse  
quoque Clericis Romanis, Dalmaticas &  
mappulas vt ornamenta propria: cæteri  
his vsi non nisi ex priuilegio. Docent ver-

*Regist. l.  
7 ind. 2.  
ep. 111.*

ba Gregorij Papæ, qui Aregio Episcopo,  
*Te (inquit) & Archidiaconum tuum, Dal-  
maticarum vsu decorãdos esse censuimus*. Ac  
de mappulis euidētius, quando scribit Io-  
hanni Episcopo Rauennati: *Illud quod pro  
utendis à Clero vestro mappulis scripsistis, à  
nostris est Clericis fortiter obuiatum; dicen-  
tibus nulli hoc vnquam alij Ecclesia fuisse  
concessum*. Erant porrò mappulæ candida  
equorum strata ex pãno lineo. quali equo-  
rum ornamento vsos quoque fuisse Car-  
thophylaces Ecclesiæ Constantinopolita-

*refertur  
dist. 93.  
c. illud  
88200.*

næ

næ refert ex Balsamone Baronius. & meminit Auctor vitæ S. Gregorij *Planetatorum mappulorumque* Pontificem in sollemni processione præcedentium. Et quia Glossa pro intellectu vocis (mappula) de quâ hic mentio, remittit lectorem ad Iustiniani Authenticum de Consulibus; monedū eum censui, longè aliud ibi per, Mappā, significari. Mappa enim eo loco, ludus Circensis est, quem Iustinianus eâ Cōstitutione, Consuli in suo secundo processu exhibere permittit. Originem nominis retulit Cassiodorus, vbi scripsit. *Mappa qua Circensibus nomen dare videtur, tali casu fluxit in morem. Cum Nero prandium protenderet, & celeritatem, ut adsolet, populus spectandi avidus flagigaret; ille mappam, quâ tergendis manibus utebatur iussit abijci per fenestram ut libertatem daret certaminis postulati. Hinc tractum est, ut ostensa mappa certa videretur promissio Circensium futurorum. Huc spectat illud lepidi Poetæ:  
Cretatam prætor, cum vellet mittere mappā,  
Prætori mappam surripit Hermogenes.*

Tomo 8.  
an. 195.Novell.  
105.  
Collat. 8.3. ep. 57.  
ad Euseb.  
Præf.  
pres.

Tertull.  
cont. Va-  
lent. &  
de Spect.  
cap. 16.

Item illud apud Tertull. *Mappa missa est.* A mappa igitur quam in populum magistratus mittebat, tanquam indicem & promissionem Circensium futurorum, & ipsi ludi sic appellati sunt.

## CAPVT XIX.

*Quo colore veteres in veste vsi. Romani, Iudai, Afri, Aegyptij, in veste albâ. Quid distet inter album & candidum. Galli fortè in rufâ.*

**T**Ranseo nunc ad vestium colorem. Ac primùm aduerto, veteribus non tantum Romanis, sed & alijs nationibus placuisse colorem album. Docet Lipsius lib. primo Electorum. Est enim simplicior, vnde & congruentior simplici vetustati, cui placebat quod magis à naturâ, minus ab arte. Et cum à nato ferè orbe lana hominibus vestem dederit: oves verò aut albæ, aut nigræ nascantur; restat vt natiuus vestium color, aut albus, aut niger siue furuus sit. Hanc coloris simplicitatem  
tanti

ET MONACHORVM HABITV. 85

tanti fecit Tertullianus, vt ferè damnaue-  
 rit lanæ tincturam. *Non placet Deo, inquit, <sup>de habitu</sup>  
 quod non ipse produxit: nisi si non potuit pur- <sup>mulieris</sup>  
 pureas & earinas oues, nasci iubere. Si potuit,  
 ergo iam noluit. quod noluit non licet fingi: ab  
 interpolatore naturæ est. Nimirum enim <sup>De cultu</sup>  
 Deus demonstravit succis herbarum & con- <sup>famin.</sup>  
 charum alueis lanas incoquere. Exciderat illi  
 cum uniuersa nasci iuberet, purpureas & coc-  
 cineas oues mādare. Ex his Tertulliani ver-  
 bis liquidò licet colligere, improbasse eum  
 omnē lanæ infectionē, nec ei placuisse co-  
 lorem nisi cum quo lana nascitur. Mutatā  
 apud Romanos Rep. & labēte imperio, si-  
 cut toga, ita & color albus ferè abiit in in-  
 teritū, ac pullæ omnes plebeiaē vestes. hinc  
 pulla paupertas. Hinc pullati illi de quibus  
 apud Suetonium Augustus, *ne quis pullato-  
 rum mediā caueā sederet.* Hinc natum dif-  
 crimen sæculo priori incognitum, vt alij  
 candidati, alij pullati dicerentur. Candi-  
 dati, non qui peterent, vt olim, sed hone-  
 stioris ordinis ciues: pullati infima plebs  
 siue vulgus. Ac proinde veteres Christia-*

ni, partim veste candidâ, partim pullâ. Neque enim in Ecclesiâ primitiuâ, pars maior aut melior Christianorum ( vt exprobrat gentilis apud Minutium) *egabant, algebant, fame laborabant, pallidi & misericordiâ digni*, multi enim inter eos honorati, ac de ordine Senatorio. Et sicut in Iudæâ plurima turba Sacerdotum, teste Luca: ita Romæ plures de Cæsaris domo credebant, teste Paulo.

Aegiptij Christiani probabiliter quoque adseruntur in veste albâ. Nam eum colorem valdè eis commendat Pædagogus Christianus. *Reijcienda (inquit) vestimenti tinctura. Atque eos quidem qui sunt candidi & non intus adulterini, albis, & minus curiosis ac operosis vestibus uti, est convenientissimum.* Et de S. Anthonio scripsit S. Athanasius, ardore & cupiditate martyrij alba sumpsisse vestimenta, per quæ Christianus esse à Gentilibus cognoscetur. Ita intellexit Athanasium Baronius, his verbis de Anthonio loquentem, *aliâ die stans in eminenti loco, candente præcinctus*

in O. H. 1.  
419.

Ad. 6.

Ad Phi.  
4 p. 4.

Ped. 13.  
l. 2 c. 10

Ita existimat  
Baron.  
scm 2.  
m. 256.

*Etus veste, procedentem Iudicem suo prouocabat ad spectu, flagrans cupiditate martyrij. Quamquam verius existimet Rosvveida, Anthonium alba induisse vestimenta; non ut cognosceretur esse Christianus, qui vel Monachi habitus talis cognitus erat: sed ut ad Iudicem, Aegyptijs mixtus albâ induitis, securius procederet. quod Monachis qui pullâ veste dignoscebatur, ciuitate esset interdictum.*

Quod si ita est, iã non tantum Christiani Aegyptij, sed & Gentiles, ex opinione Rosvveidæ, nobis erunt in albâ veste adferendi. Si verò Baronij sensum sequamur; addemus: verosimiliter in Christianos Aegyptios ab Essæis (qui circa Alexandriam maximè floruerunt, auctore Philone) eum colorem fuisse deriuatum. Hi enim fuere Christiani, ut ex Hieronymo, Epiphanio, ac alijs suppono: imò ferè totam eam sectam in Iudæa agentē, Christo prædicanti accessisse, probabiliter conijcit Baronius. Habuisse autem eos indumentum album testis est Iosephus.

De Iudæis idē adfirmo quod de Romanis

*Notat ad vit. Anton. n. 56.*

*Tom. 1. an. 97.*

*De Bell. Iudæic. l. 2. c. 2.*



nis Lipsius. Sermo tamen de solis viris mihi, ac veste vulgari. Alioquin mulieres, iam olim David ad planctum vocat super Saulis interitu, *Qui vestiebat eas coccino, qui praebebat ornamenta aurea cultui earum.* Viros igitur apud Iudæos honoratiores opinor, ut plurimum incessisse in habitu candido: tenuiores autem & plebeios obsoleto, & qui usu squallorem traxerat, indicat S. Iacobus in epistolâ suâ canonicâ, ad fratres dispersos, in quâ virum nobilem describit *veste candidâ; pauperê habitu sordido.* Et videtur sensisse Lorinus, qui de usu coloris albi loquens; docet, *signum semper letitiæ fuisse, & vitæ instituti que liberioris, quamvis non dissoluti inter Christianos, in quotidiano vestitu, ita tamen ut soli diuites nitidum ac candentem adsumerent, qui à Iacobo græcè vocatur δάμπερα id est vestis illustris: alij simpliciorum paratuque facilem.* Ita ille. Et quo quæso vergit illud monitum Sapientis Iudæis scriptum, *Omni tempore sint vestimenta tua candida?* Fateor, præcipuum illi scopum

2. Reg. 1.

1. Cor. 2.

in cap. 7.  
Act. vers.

29.

Ecol. 5.

scopum fuisse, inculcare mentis simplicitatem, candorem tranquillitatem: ita tamen vt has animi adfectiones voluerit vestis candore monstrari. plerisque enim gentibus vestis candida, mentis lætæ, securæ, tranquillæ indicium fuit. Vnde de corruptis hominibus, omnemq; iuris tam publici quam priuati ordinem peruertentibus scripsit Sidonius. *Incedunt* <sup>s. ep. 7.</sup> *libenter armati ad epulas, albati ad exequias pelliti ad Ecclesias, pullati ad nuptias, castorinati ad litanias.* Pullati (inquit) ad nuptias, albati ad exequias. contra publicum morem, iuxta quem pullati ad exequias, albati ad nuptias. Imò passim iuisse tunc albatos, scripsit Petrus Cluniacens. referens ista Sidonij verba.

Obseruo ex Lipsio. Colorem album <sup>s. ep. 16.</sup> fuisse eum qui lanæ natiuus, candidum qui ab arte splendet. Vnde Seneca volens remouere à Sapientie non tantum fordes, sed etiam munditiam adfectatam: *nec splendeat* (inquit) *toga, nec sordeat.* Splendor dixi, erat ab arte. Nam magis curiosi,

M non

non contenti insito lanæ colore, cretam addebant in vestem vt candesceret, imò splēderet. Vnde Isidoro *Toga candida eadēque cretata est.* & eò adludit, illud Persij.

*Quem ducit hiantem*

*Cretata ambitio.*

Respicit nimirum ad eos qui magistratum ambiebant in togâ candidâ cretatâ: tametsi olim apud seueriores Romanos vetitum, *ne cui album in vestimentum petitionis causâ addere liceret.* Iuuabāt se hoc artificio pauperes & serui, iniectâ cretâ vestis obsoletæ tesquorem occultantes, de quibus Plautus in *Anbular.* *Qui vestitus est cretâ se occultant, et sedent quasi sint frugi.* Hæc Lipsius.

Genti Gallicæ Martialis generatim tribuit lacernas rufas in *Apophoretis*, vbi scripsit. *Vestitur Gallia rufis.*

Quid si indè lacerni byrrhi? Byrrhus enim idem quod rufus ex Festi interpretatione. Ac Cypriani lacernū fuisse rufum scripsit Lorinus; eo quod Acta illum vocent byrrhum. E Gallia verò byrrhos peti-

tos,

*Etyim.*  
*lib. 19.*

1 t

*Livius*  
*de cad.*  
*2. lib. 4. 3*

ET MONACHORVM HABITV 91  
ros, docet illud Vopisci, *Donati ab Atrebat-  
ticis byrrhi petiti*. Lacerni igitur gallici,  
fortè, à colore simpliciter Byrrhi dicti.  
Sed suprâ de Byrrhis agentes, prætulimus  
opinionem Alciati, Baronij, & aliorum,  
quibus Byrrhus non lacerni color, sed  
species est.

De Aphris Christianis, possit alicui vi-  
deri verosimile (neque improbat Baro-  
nius) conuenisse eos in colore vestis cum  
Aegiptijs: de quibus suprâ diximus inces-  
sisse in albâ. Sanè S. Cyprianus in libro de  
Mortalitate suos reprehendit, quod in fu-  
nere agnatorum, depositâ veste consuetâ,  
atram sumerent. Quæ repræhensio vt lo-  
cum habeat videbitur dicendum, non  
fuisse eis in vsu quotidiano vestem ni-  
gram. nisi malis cum Baronio adserere,  
non tam fuisse colorem reprehensum,  
quam genus quoddam vestis luctuosæ, &  
quæ sui compositione tantùm funeribus  
seruiret. Fortius argumentum sumitur ex  
Tertulliano æquè Aphro, quem suprâ au-  
diuimus reiecisse omnem vestis tincturâ.

M 2

Ille

Ille in libro de resurrectione carnis. *Si (inquit) famulum tuum libertate mutaueris, et alba vestis nitore, et aurei annuli honore, et Patroni nomine, ac tribus mensaque honoratur.* Vestis igitur libertorum alba in Aphricâ, ac liberti noui in togâ apparebant, id est communi ciuium veste. Ita Tertulianum intellexit Lipsius.

## CAPVT XX.

*Quis olim color vestis Clericalis. verosimile quod albus. Quare Cardinalium purpureus.*

**E**T hæc quidem generatim dicta sint de vestium colore. Descendo nunc speciatim ad Clericos. Et sermo mihi erit de eis qui post datam Ecclesiæ pacem vixerunt: tunc enim cepit se ordo Ecclesiasticus apertius, à laicis, in externo habitu discernere. Ac primùm de ijs qui lineam gestarunt suppono vt certum gesta-  
se lineam candidam colore nimirum, quo vno Deum delectari Persarum magi adse-  
rebant

rebant vt scripsit in Hieroglyphicis Pierius, Deoque maximè decorum vocat Cicerone. Quantum ad tunicam attinet, de eius colore notat ex Hieronymo Baronius, fuisse eum vt plurimum neque nigram, neque candidam, sed medij alicuius coloris. *Pullas* (inquit D. Hieronymus instruens Clericum) *vestes, aequè deuita ac candidas.* Sed fortè D. Hieronymus non dissuasit vestem albam, sed candore artificioso splendentem, non λευκήν, sed λαμπράν, ob quã notatum fuisse Sisinnium Episcopum Nouatianum, refert Sozomenus. Placet igitur Baronio, vt receptior in Clero color fuerit violaceus aut castaneus: niger autem tunc demum ab eo adsumptus, quando pluribus locis adsumptus monachismus, aut è monachis lecti Canonico-  
rum Episcopi.

Non fuisse tamen vniuersaliter vsum huius coloris à Clero receptum, aut non diu continuatum declarant, quæ scribit Anselmus Canonicus Leodiensis de Eraclio Episcopo. *Ipse* (inquit) *inter cetera*

M 3

disci-

*s. de Leg.*

*ep. ad Nepos.*

*l. 3. c. 2.*

*Capit  
Era lius  
sedere  
an. 258.*

54 DE VETERE CLERICORVM  
disciplinarum instituta, constituit, ut in Ad-  
uentu & à Septuagesima vsque ad Pascha,  
Clerus pullâ veste amiciatur: eo quod niger  
color penitentia & afflictioni magis conue-  
niat quam albus. Audis hic album colorem  
in nigrum mutari. idque pro certo tantum  
tempore.

Lr. cap.  
232.

cap. 237  
Iohannes  
Mambur.  
in suo  
venaso-  
rio.

Addo Honorium Augustodunensem,  
qui in suâ Gemma animæ, generatim  
Clericis tribuit indumentum album.  
Et non est quod quis existimet loqui  
eum de Clericorum linea, quia de ea  
pauillò post agit sub nomine Camisiæ.  
Eandem sententiam docuit Iohannes  
Mamburnus, adlegata pro se etiam S.  
Hieronymi auctoritate, qui in epistolâ ad  
Fabiolâ de veste Sacerdotali vel Clericali,  
ait; *vestimenta sua non scindet quia candida  
sunt, quia impolluta, quia agnum sequentia,  
& de attonsa ovis confecta velleribus,* Sed  
an locus ille Hieronymi seruiat pro-  
posito, lectori arbitrium esto. Certum  
enim, Hieronimum loqui de Sacerdote  
Mosaico.

Facit

Facit huc quoque quod scribit Herimannus Abbas, de Odone Ecclesiæ Tornacensis Scholastico. Hic cum vellet de sæculari clericatu cum quibusdam suis discipulis transire ad regularem, & se quædam offerrent impedimenta: de Concilio Haymerici Abbatis Aquiscinctinensis, mutato proposito, adsumpsit monachatum. *Nam (inquit Abbas) iuxta urbem habitatis, & fratres vestri iuniores à secularibus suis socijs decepti ad sæculum reducuntur, quia unus vester & eorum est habitus. Si autem monachi essetis, postea nullum de vestris tentarent reducere. quoniam cum monachorum niger sit habitus, Clericorum vero candidus: tanto horrore Clerici habent habitum monachicum, ut quem semel viderint monachum, nunquam deinceps dignetur habere sociũ.* Vides Clericis hic generatim adscribi habitum candidum. Et huc vsq; quædam monasteria Canonorum regularium in eodem habitu perseuerant: exëplo sunt, Ecclesiæ S. Victoris & Genoueuæ Parisijs, S. Medardi, Tornaci, & alibi.

Non



Non duravit autem in Clericis Tornacensibus albus color : sed postea vsi aliquando rubro , vt probant veteres in eâ Ecclesiâ picturæ, & monumenta, ac testatur Iohannes Cognatus in suâ Tornacensi Historiâ. Vnde vsque hodie pueri Symphoniaei in eâ Ecclesiâ in rubrâ tunicâ sunt ; Et in Ecclesijs B. Mariæ tam Parisijs quam Rothomagi in festis solemnioribus, ij Canonici, qui de Consilio Parlamenti Regij sunt . Quare colligas, non fuisse ab eis receptum aut in desuetudinẽ abijssse veterem canonem Concilij Narbonen.

Tom. 3.  
cap. 30.

Conc.  
Narbon.  
habitum  
cap. 38.

*Vt nullus Clericorum purpurea induat vestimenta.* Summus quoque Pontifex, & S. E. R. Cardinales, ob illius Sedis prærogatiuã & celsitudinẽ purpurâ vestiuntur. Si enim Senatum suum Roma lato-clauo quondam vestiuit, quando, licet omnibus penè dominaretur gentibus, omnium gentium seruebat erroribus : quanto iustius, gloriosius eum ornauerit, quando ob trophæum Crucis Christi arcibus eius illatum, per sacram B. Petri Sedem orbis caput esse-

S. Leo.  
Serm. 1.  
in natali  
Apost.

Et a,

*Et*, *latius presidet religione diuina, quam vnquam dominatione terrena?* sed nihil hic ornatus ad veteres Clericos. Primus enim Cardinalibus pilleum purpureum donauit Innocētius I V. auxit deinde eum decorem Paulus II. & totos vestiuit purpurâ. Vtrique finis fuit, hoc ornatu Cardinales monere, pro Pontificiâ authoritate vsque ad sanguinem certare. Eodem fine Innocentius III. V Vilhelmo Regi Scotorum pijsimo, miserat gladium cum Galero purpureo. vt refert Hector Boetius. Stimulus nimirum erat quamuis additus equo currenti, pro fide & pietate, nec sanguini parcere.

Similiratione, Pontifex hodie cuiilibet Cardinali recens creato præter purpuram, etiam Sapphirum mittit: tacitè insinuans specialiter ad eos pertinere illud Apostoli, *Nostra autem conuersatio est in cælis*. Est enim Sapphirus coloris cæli sereni. Item, oportere eos mente esse incorruptissimâ, quam non adulatio emolliat, fauor abducatur, potentium minæ perturbât.

N

Est

*restis à  
Lapide  
ad 24.  
Exod.*

Est enim Sapphirus sculpturæ inutilis, auctore Plinio.  
l. 37. c. 7

## CAPVT XXI.

*Veterum & recentiorum Conciliorum circa Clericorum habitum decreta.*

**C**Æterum de veste veterū Clericorū  
an. 789. scripsit Conciliū Nicænum II. *Priscis temporibus omnis sacratus vir, cum mediocri & vili veste conuersabatur. Omne quippe quod non propter necessitatem, sed propter venustatem accipitur, elationis habet calumniam. Nam vt dixit eleganter D. Ambrosius, Humilis habitus bonæ professioni conuenit, vt possit non aliud estimari quam cernitur. Auditur enim Philosophus (inquit Tertul.) cum videtur. Nam ipse habitus sonat. Laborauitque Ecclesia, veteri, medio, recentiore æuo, Clericalem habitum intra modestiæ limites coercere frequentissimis constitutionibus quas omnes innouat Tridentinum. Hinc vetitæ vestes fulgidæ, rubræ, virides, virgatæ, manicatæ,*

in 1. ad Tim. c. 2.  
Concil. Trid. sess. 29. c. 6. & sess. 22. c. 3. de Refor.  
Concil. Lateran. sub Inno. 3. can. 16. Turian. can. 23. 7 Synod. 1173. 139.

cata,

ET MONA ORCHVM HABITV. 99  
cata, militares. Calceamenta pretiosa, inepta, rostrata, aliæque nouitatum vanitates. Fræna, sellæ, pectoralia, calcaria, corrigiæ, fibulæ deauratæ aut deargentatæ. Vestitus quoque vsus annulorum, quibus non competit ex officio dignitatis.

Additæ graues pænæ . Ac quidem in Concilio Nicæno , *Clericus qui in huiusmodi permanserit , epitimio tradatur .* Quæ pæna etiam decernitur in eum qui riserit *amictos vilibus & religiosis vestimentis.* In Matisconensi I. *Clericus qui cum indecente veste inuētus fuerit , à Seniore ita coerceatur , ut triginta dierum inclusione detentus , aqua tantum & modico pane diebus singulis sustentur.* Temporibus magis recentibus, Concilium Viennense sub Clement. V. Clericos à suo præscripto in vestitu exorbitantes, mulctat ; aut maiore parte fructuum beneficij quod obtinent : aut ad beneficia obtinēda inhabilitat certo tempore , præcipitq; vestem vetitam erogari in pauperes. *oportet enim, inquit Concilium, tales personas per modestiam habitus extrinseci,*

*Matisconens.  
celebrat.  
an. 582.*

*Clemens.  
de vit.  
& hon.  
Cler. c.  
Clerici.*

N 2

*morum*

100 DE VETERE CLERICORVM  
*morum intrinsecam honestatem ostendere.*

*Sess. 14.  
cap. 6.*

Addit nouissimè Trident. *Vt si semel correpti in hoc denuo deliquerint, etiam per priuationem beneficiorum & officiorum, huiusmodi coerceri possent, & debeant.* Visum est ea hic inserere quamuis recentia. Hactenus enim ad veteres Clericos pertinent, quod ipsa Concilia profiteantur, se veterum instituta renouare. Hæc de clericis modò sufficiant. venio ad Monachos.

LIB. I.



# LIBRI PRIMI PARS SECVNDA.

## CAPVT I.

*Etymologia vocis, Monachus, explicata.  
refellitur Scaliger.*



Rdior, vt in Clericis feci,  
à vocis siue nominis sig-  
nificatione . In quâ red-  
dendâ Doctores nonnihil  
variant.

S. Hieronymus in Epi-  
stolâ ad Heliod. Videtur solis Eremitis so-  
litariè degentibus hoc nomē tribuere. *In-  
terpretare* (inquit) *nomen Monachi, hoc est  
tuum: quid facis in turbâ qui solus es?* Sed re-  
strictius ibi loqui S. Hieronymū sufficiē-  
ti argumēto est, quod Eremitæ ceperint à  
Paulo Thebano, ipso Hieronymo aucto-  
re: institutum autem monasticum ceperit  
à temporibus Apostolorum, teste S. Dio-

N 3

nyfio,

*De Eccl.  
hierar.  
cap. 63*

nifio . Imò ipse S. Hieronymus in ep. ad Eustochium, nomē monachi cōmune facit tam Eremitis quam Cænobitis. S. Aug. Monachum interpretatur, qui in cōmunitate cum alijs eiusdem secum instituti sic viuit, vt cum eis sit ei anima vna & cor vnum: *uovos enim* (inquit) *vnus dicitur: & non vnus quomodocumque, nam & in turba vnus est; sed vna cū multis vnus dici potest, uovos non potest, id est vnus solus. Qui ergo sic viuit in vnum vt vnum hominem faciat, vt sit, illi verè cum fratribus anima vna, rectè dicitur uovos, id est, vnus solus.* Ita ille.

*super  
Psal.  
Eccē quā  
bonum.*

*Dyonis.  
sup.*

Tertiò & propriè S. Dyonis. Monachos sic appellatos dicit, à puro Dei famulatu, indiuiduaq; ac singulari vitâ promissione ac voto firmatâ: qua eos vnum efficit rerum diuinarum coniunctionibus, atque cum vno cōiungit, & cum sacra monade colligit. Obiter hic aduerto, longe errasse Scaligerum, qui eo argumento libros S. Dyonisij reprobat vt supposititios, quod in ijs mētio monachorum fit. Quasi temporibus S. Dyonisij nondum vlli monachi extiterint, cum ex  
eius

ET MONACHORVM HABITV. 103  
eius opinione illi ceperint cum Paulo Ere-  
mita: prioribus autem temporibus Chri-  
stiani, vt loquutus est Tertull. non fuerint  
*siluicola & exules vitæ*. Sed errat Scaliger. &  
eum eruditè refutat Lanfseius in Apolog.  
pro libris S. Dyonisij. Neque enim quando  
Therapeutas aut Monachos nominat  
Dyonisius, eos intelligit, qui in vastis soli-  
tudinibus oberrātes solitarij viuebāt, *silui-  
cola & exules vitæ*: Sed eos dixit mona-  
chos, qui licet ex vi instituti monastici lai-  
corū ordinem non transcenderēt, maiorē  
tamē vitæ sanctimoniam profitebantur,  
pijs prædicationibus dabāt operā studio-  
sius, ab sæcularium rerum strepitu recede-  
bant, in medio cœtu Christianorum, ita  
viuebant; vt longè quā vulgo religiosius  
Deo vitam consecrassē constaret: vni ni-  
mirum monadi adhærentes. Vnde & tria  
vota religioni (vt loquuntur Scholastici)  
substantialia emittebant. Hoc enim fece-  
rant Apostoli, qui licet ex Christi ordina-  
tione essēt Clerici, monasticē tamē quoq;  
profitebantur: vt meritò Bellarm. vocet  
eos



Bellar.  
lib de  
Monach.  
cap 5.  
Aug 17.  
de ciuit.  
cap 4.  
S. Tb.  
2. 2. q.  
88 ar. 4.  
ad. 3.

eos, *primos Christianorum monachos*. Vouisse Apostolos auctor est S. August. & sequitur S. Thomas. *Dixerunt potentes illi* (inquit S. August.) *Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. hoc votum potentissimi illi vouerant*. Vouisse autem eos non quia Clerici erant, sed quâ Monachi (præterquam quod euidens sit huiusmodi vota ad institutum Clericorum non pertinere) argumento est; hâc potissimum ratione, Canonicos illos qui Monachismum adsumebant ab alijs fuisse discretos, quod dicta vota emitterent. Docet Molanus, libro de Canonicis.

d. g. c. 6.

## CAPVT II.

*Institutum monasticum antiquissimum latissime mox ab Ecclesia exordio diffusum.*

**I**Nstitutum Monachorum cepit, vt ex Dyonisio diximus, à temporibus Apostolorum, ac initio nascentis Ecclesiæ. Imò & vetus testamentum suos habuit Monachos. Vnde Eliâ, Elizæum, & filios Prophe-

Prophetarum, veteris Testamenti monachos vocat S. Hieron. De quibus Apostolus. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & cauernis terræ.*

*Ep. 4. ad  
Rusticū  
Ad He-  
braeos 12*

In nouo Testamento iure Patriarcham sibi esse Monachi gloriantur Iohannem Baptistam: ac verissimè de eo scripsit Chrysof. *Sicut Sacerdotum principes sunt Apostoli, sic Monachorum princeps Iohannes Baptista.* Proximè hunc sequuntur Essæi, siue, vt eos vocat Epiphanius, Iessæi, quorum vitam admirabilem latius descripserunt, Philo, Iosephus, Hieronymus, atque de ijs pro materiæ & argumenti exigentiâ quædam attingimus libro sequ.

*Hom. 1.  
in Marc.*

Porro institutum monasticum, primum latissimè se diffudit in Orientem: atque ubi primus ille Iessæorum ardor deferbuerat, restituit eum (vt Auctoꝝ est Baronius) magnus Anthonius. Cuius sæculo aut paullo infrà, Palæstinam, Syriam, Asiam minorem, Cappadociam, Pontum

O

Arme-

Armeniam, Mesopotamiam, & Boreales  
regiones examina monachorum repleue-  
rant, vsque ad latrones Bessas & Dacos.  
De quibus S. Paulinus cecinit in reditu  
Nicetæ.

*Nam simul terris animisque duri,  
Et suâ Bessi niue duriores,  
Nunc oues facti Duce te gregantur,  
Pacis in aulam.*

*Mos ubi quondam fuerat ferarum,  
Nunc ibi ritus viget Angelorum,  
Et latet iustus quibus ipse latro  
Vixit in antris.*

*Ep. 3. ad  
Heliodor.*

Sed & de Bessis meminit S. Hieron. ubi  
ait, *Indus, Persa, Gotthus, Aegyptius philo-  
sophantur: Bessorum feritas & pellitorum  
turba populorum, qui mortuorum quondam  
inferijs homines immolabant, stridorē suum  
in Crucis fregerunt melos.* Et alio loco. *De  
India, Perside, Aethiopiâ, monachorum quo-  
tidie turmas recipimus.* eorum scilicet, qui  
ad loca sacra pietatis ergo ventitabant.

*Ep. 7 ad  
Latam.*

Hoc interim verum. In Occidente ante  
S. Athanasij in eo exilium, vitæque magni  
Anthonij

ET MONACHORVM HABITV. 107  
Anthonij per eum factam promulgationem, vitam cœnobiticam minus fuisse in usu. licet enim nunquam antea defuerint viri sancti, qui seorsim ab alijs agerent solitarij; atque ingruentium persecutionum occasione, potissimum laterent in speluncis & cauernis terræ: vt tamen esset tam virorum quam mulierum cœtus, qui monasticam exercerent disciplinā, id primū accepit Roma ab Anthonio isto magno per Athanasium Episcopum Alexandrinum à Romanā verò Ecclesia velut promptuario disciplinæ, aliæ omnes occidentalis orbis Ecclesiæ, mutuatae sunt. Ita Baro-  
nius.

Anno  
Christi  
328.

### C A P V T III.

*Explicatur Baronius. Eius occasione de monasterio S. Mariae in monte Carmelo digressiuncula.*

Sunt tamē qui de his ambigāt, imò Baro-  
nij sententiā minus modestè perstringant; contendētes vitam monachorū cœ-  
nobiticam

O 2

nobiticam

nobiticam in ijs Religiosis qui dicuntur S. Mariæ de monte Carmelo ad tempora Anthonij & longè vltra durasse.

*Lege  
Carthag.  
de arcan.  
Dei lib.  
27. hom.  
2.*

Docent hi primò. Eliam, Elizæum, ac filios prophetarū in monte Carmelo vitam egisse verè ac propriè monasticā. Secūdò. Ab his ad Christi vsq; tēpora in eo monte nunquam Monachos defuisse. Tertiò. Christo prædicanti eos statim accessisse, ab eo & Matre Dei-parâ frequentatos. ab hac etiam singulariter dilectos, præscia nimirum ab ijs in monte Carmelo primum Sacellum sibi dicandum, cum singulari cultu. Quartò. Post Christi gloriosum in cælos ascensum, fuisse eos in messe Evangelicâ colligendâ strenuos Apostolorum cooperarios. Quintò. Deiparæ in cælos adsumptæ primum Sacellum in latere montis Carmeli ædificasse, ad quod frequentissimus fuerit è totâ Syriâ fidelium concursus. Sextò. Fuisse illius monasterij alumnum Iohannem XLIV. Episcopum Hierosolymorum, à quo sit eis Regula præscripta, in libro quem scripsit ad Caprasium

*Habitat  
Bibiot.  
ss. PP.  
107. 4.*

ET MONACHORVM HABITV 109  
prafium Monachum. Septimò. Conti-  
nuatam in eo monte vitam cœnobiticam  
ad annum Christi M. CCXCIV. *Eo enim*  
*anno (inquit Auctor fasciculi temporum)*  
*ciuitas Acconis à Sarracenis destruitur. Ac*  
*denuum Deipara Maria in Carmelo mona-*  
*sterium, ad quatuor milliaria ciuitati vici-*  
*num ab eis igne concrematur, fratribus in eo*  
*degentibus perfidorum gladijs trucidatis. Et*  
*tunc (proh dolor!) ordo Carmelitarum mel-*  
*liffuum locum ex toto perdidit, in quo ab Elia*  
*& Elifai tempore, duobus millibus, ducentis,*  
*& viginti vno annis perftiterant.*

Probant pleraque eorum auctoritate  
Pontificum, qui in fuis diplomatibus do-  
cent, Carmelitas, *Sanctorum Prophetarũ,*  
*Elia, Elifai, Enoch, & aliorum Sanctorum*  
*Patrum qui montem Carmeli inhabitarunt*  
*iuxta fontem Elia, fucceffionem heredita-*  
*riam tenere.*

Congeffit præterea pro horum proba-  
tione Carthagena vir doctiffimus, Aucto-  
rum ferè myriadem. Quem tu lector vide.  
nec enim mihi animus eft fufius de illis a-

*Sixtus*  
*iv. in*  
*Bulla,*  
*qua inci-*  
*pit, Dum*  
*attenta.*

*Car-*  
*thag.*  
*fup.*

gere. Obiter tantum aduerto, non ita adferuisse Illustrissimum Baronium, Anthonium vitæ cœnobiticæ restitutorem, vt existimasse credendus sit, eam post primorum Christianorum tempora ad Anthonium vsque prorsus ac vbique interruptam. Sciebat enim indubiè vir ille magnus & polyhistor, monasterium Heleni Episcopi iuxta Alexandriam, in quo habitum monasticum Eugenia virgo & martyr, sexum dissimulata suscepit temporibus Seueri Imperatoris. nouerat monasterium S. Briennæ in ciuitate Sibapoli in finibus Assyriorum; ex quo, persequente Diocletiano, generosa virgo & martyr Frebonia, omne tormentorum genus experta sed non superata, prodiuit. Sed quia Sanctas illas Cōgregationes, frequentium persecutorum turbo disperferat, *quando* (inquit idem Baronius,) *non tantum Christiani simul agentes & conuentus publicè celebrantes, sed & latentes in penetralibus alijsque latibulis quesiti, abripiebantur ad necem: coacti fuere plures Monachi se in deserta*  
 loca

Vide SU-  
 RIS 25  
 Decemb.

SUR. 13.  
 169.

ET MONACHORVM HABITV. III

loca abdere; neque prius in vnum corpus conuenerunt, quam S. Anthonius *diuino adflatus numine*, dispersos per solitudinem Monachos in vnum collegit, & in diuersis locis, tanquam in diuersis aluearijs apum examina, distribuit. Vnde scripsit S. Hieron. *Eos ex parte verum dicere qui Anthonium adserunt propositi monastici caput. non tam quod ipse ante omnes, quam quod ab eo, omnium excitata sint studia.*

*in vita  
Pauli  
Thebani.*

Et quidem si sermo sit de vitâ cœnobicâ monachorum Palæstinorum, occurrit mihi de monachis montis Carmeli dubium, intricatius quam nodus Gordius. Scribit Sanctus Hieronymus in vitâ Hilarionis, *Necdum tunc monasteria erant in Palæstinâ, nec quisquam monachum ante Hilarionem in Syriâ nouerat. ille fundator & eruditor huius conuersationis & studij in hac prouinciâ primum fuit.*

*Hilar.  
secessit  
in Ere-  
mū an.  
Domini  
301.*

Verba apertissima sunt, & quæ non admittant vllam tergiuersationem. Si ergo ita est, & ante Hilarionem non erant.



112 DE VETERE CLERICORVM  
erant monasteria in Palæstina, vbi erat  
monasterium montis Carmeli? Deinde  
si hoc monasterium ob sacellum Deipa-  
ræ Virgini sacrum à *Palæstinis, Phenici-*  
*bus, Galileisque maxime fuit frequentatum,*  
quomodo ante Hilarionē *nemo Monachū*  
*in Syriā nouerat*? An monasterium fre-  
quentabatur, & monachi nesciebantur?  
Præterea, si ab hoc monte vt à fonte quæ-  
vis alia monachorum instituta deriuata  
sunt (hoc enim volunt Auctores illius  
opinionis) quomodo Hilarion in Syriā  
*monasticae conuersationis & studij primus*  
*fundator & eruditor*? An dicemus Hie-  
ronymum hæc omnia ignorasse, qui ipse  
Monachus inter Syriæ Monachos bonā  
ætatis partem triuit, qui toties Palestinæ  
loca sacra lustratus est, qui monachorum  
non tantum Syrorum sed & Aegiptiorum  
instituta scrutatus est, vitas descripsit, hi-  
storias profecutus est? Non legerat Hie-  
ronymus Iohannis Hierosolymitani institu-  
tionis, (si quidem verè, ille eas scripsit)  
hominis sibi synchroni, optimè noti, &  
cuius

cuius libros diligētissimè euoluerat, quod diceretur Iohannes ille ad errores Origenis declinare? Denique, si verum est in illo monte ab illius religionis fratribus primum Deiparæ sacellum dedicatum, vicinarum gentium peregrinatione celeberrimum: quid est quod Paula Romana, omnia sacra loca religiosissimè visitans, Carmelum præterijt? Aut si non præterijt, quid est quod S. Hieronymus totam Sanctæ illius feminæ peregrinationem accuratè describens, hoc tacuit; præsertim cum disertis verbis expresserit Sareptam Sidoniorum in quâ Turris Eliæ, Dor urbem quondam potētissimam, Turrem Stratonis siue Cæsaream, inter quæ mediusediacet Carmelus? Ego hîc hæreo, nec nodum soluo: faciat qui voluerit & potuerit. Pergo.

*In Epist.  
Paulæ.*

P

CA-

## CAPVT IV.

*Vetus mos est in monachismi adsumptione habitum mutare. & quæ ratio.*

Can. 76  
ex adi-  
tione  
Turri-  
ni.

Eccl. hie.  
rar p. 2.  
cap. 6.

De Pal-  
lio.

Basil.  
reg. 6. 12.

**D**E Monachis generatim sanxit Con-  
cil. Nicænum I. *ut monachi & mo-  
niales alia indumenta & alios mores habeant  
quam laici.* Et in Concilio Aquigranen.  
sub Ludouico pio vetitum, ne Canonici  
habitum monasticum adsumerent, nisi si-  
mul adsumpto eorum proposito. Et con-  
stat ex S. Dyonisio, iam à tēporibus Apo-  
stolorum, soluisse qui monasticen profite-  
bantur, vnà cum vitâ etiam habitum mu-  
tare. nimirum, *sua quoque in melius trans-  
gressis sunt signa*, vt loquutus est Tertull.  
*Et sicut proprium est aliquid militi in habitu  
vestimenti, & alius est habitus Senatoris ex  
quo intelligitur quod ille Senator est, & ille  
miles: ita etiam Christianus monachus habe-  
re aliquid proprium ex ordinatione indumen-  
ti ipsius debet.*

Quid verò hæc vestis mutatio doceat,  
audi

audi ipsum Dyonisium. *Prioris vestis pos-* <sup>sup.</sup>  
*tio, alteriusque adsumptio, migrationem il-*  
*lam à mediâ vitâ (sacra licet) ad perfectio-*  
*rem significat: sicut in diuina regeneratio-*  
*ne, promotionem indicabat à purgatâ vitâ*  
*ad contemplantem illuminantemque habi-*  
*tum, illa vestis candentis immutatio. Et*  
 habere vestis religiosæ gestationem non  
 leue momentum in religiosis cohibendis,  
 ne à professione sua exorbitent, & aliud  
 viuant quam vestiuntur, grauius alibi <sup>Lib cœ.</sup>  
 monuit Cuyckius. Seruit enim hic il- <sup>Conu-</sup>  
 lud Sancti Hieronymi, Epistol. ad Fu- <sup>binar.</sup>  
 riam. *Aut loquendum nobis (de cæteris* <sup>Sacer.</sup>  
*actionibus eadem est ratio) ut vestiti* <sup>in Epist.</sup>  
*sumus, aut vestiendum ut loquimur. Nam* <sup>ad Fu-</sup>  
*velut pedagogus quis est infirmioribus ha-* <sup>riam.</sup>  
*bitus iste religiosior, ut etiam inuitos ab*  
*opere inhonesto indecenteque custodiat. Verè*  
 enim Tertull. *Grande pallij beneficium est* <sup>Basil.</sup>  
*sub cuius recogitatu improbi mores vel eru-* <sup>sup.</sup>  
*bescunt. Hâc ratione tam apud Palladium*  
 quam in Græcorum Euchologio vocatur <sup>De Pal-</sup>  
 habitus Angelicus. nimirum, quia moneat <sup>lio.</sup>

fic vestitum cogitare illud Apostoli. *Nostra conuersatio est in caelis.* Vnde est seuera Ecclesiae césura in Religiosum temerè de-

*Comm.*  
*ad reg.*  
*S. Aug.*

ponentem habitum. de quâ nos alibi latius diximus. Et in hunc finem mos obtinuit, vt Religiosæ vestes certo ritu & prece benedicantur; nimirum, *vt hac externa ornamenta pijs Christi athletis in eum prosint*

*in Apol.*  
*pro rel.*  
*Cathol.*  
*p. 2.*

*finem, in quem sunt pietatis aut conseruanda, aut promouenda studio adsumpta,* inquit Lindanus.

## CAPVT V.

*Habitui monastico semper honos habitus declaratur exemplis.*

**H**Inc tanta quouis sæculo huic habitui reuerentia delata; Deo hanc pietatem miraculis & alijs de cælo testimonijs adprobante. Theodosius Imperator religiosissimus, & de quo cecinit Claudianus, quamuis à nomine Christi alienus,

*O nimium dilecte Deo, cui militat aether,  
Et coniurati veniunt ad classica venti.*

Hic:

Hic, inquam, Theodosius, profecturus ad-  
 uersus Maximum tyrannum, rogauit per  
 Theophilum Alexādrinum Episcopum,  
 Senuphium magni nominis in Aegypto  
 monachum vt ad se veniret. Ille aut ex  
 modestia, aut fastidio aulicarum ceremo-  
 niarum se excusans, misit Imperatori (in-  
 vocato prius Deo) baculum suum & su-  
 perhumeralē, nimirum vt manum bacu-  
 lo, superhumerali caput armaret. Non  
 contempsit Imperator, sed his armis ad-  
 cinctus, fide & in monasticum habitum  
 religione galeatus, hostem aggreditur,  
 fundit profligatque, sine suorum cæde aut  
 sanguine. Similem Historiam, quamuis  
 æui recētioris, refert Petrus Damian. Erat  
 suo tēpore Abbati cuidā cum Comite po-  
 tente controuersia. Quæ cū nec adlegatis  
 rationibus nec Iudicis auctoritate finire-  
 tur; placuit rem armis experiri. Legit Co-  
 mes militem copiosum, instruitque omni  
 armaturâ. Abbas fide magis quā ferro pu-  
 gnaturus, pro milite monachos legit, pro  
 galeis cucullas, pro dexteris ferro rigenti-

*Acta Te-  
 hannis  
 & Cyri  
 apud Mo-  
 taphr.  
 & SUR.  
 3 r. lan.  
 Glycas  
 annal.  
 tom. 3.*

*Ep. ad  
 Firmian.*

118 DE VETERE CLERICORVM  
bus puras ad Deum manus : & sic in a-  
ciem descendit . Occurrit Comes furi-  
bundus, spirans minarum ac cædis: ac vi-  
sâ cucullatorum turbâ monachorum, ob-  
stupuit, subitôque eum religiosus horror  
inuasit: equoque desiliens (idem fecêre qui  
cum sequebantur) odium in amorem, per-  
secutionem in pacem, iniuriam in reue-  
rentiam commutavit. nimirum cucullata  
illa turba, visa est ei *terribilis ut castrorum  
acies ordinata*. Quis non hic exclamet cum

*Indic. s.* Debbora prophetide, *Nova bella, nova bel-  
la elegit Dominus!* pergo . S. Anastasius

*Sur. in  
177.* Monachus Persa, & Martyr gloriosus, ra-  
ptus ad supplicium, rogat sibi permitti ha-  
bitum religiosum exuere, *ne is (inquit) una  
cum membris meis probro adficiatur* . Iusti-  
nianus Imperator graues pænas decernit  
in eum qui in ludis theatralibus ac spe-  
*Anthen.  
ultima.* ctaculis scenicis, veste religiosâ abusus  
fuerit.

Refert Auctor vitæ S. Dominici, Ma-  
gistrum quendam Nicolaum nomine, lu-  
su irreligioso deridendum exhibuisse *habi-  
tum*

ET MONACHORVM HABITV. 119  
*tum sanctitatis. moxque ei ex morbo gra-  
niter periclitanti hanc vocem auditam,  
putasne ipsas fratrum Prædicatorum perso-  
nas, dumtaxat velle me honore adfici? Ego  
verò te scire velim, me & vestes eorum nolle  
debita veneratione fraudari.*

C A P V T VI.

*Habitus monastici Deus frequenter de-  
monstator.*

**E**T quid mirum si Deus eum habitum  
velit honorari, cuius legitur fuisse fre-  
quenter doctor & demonstrator? S. Nor-  
bertus Auctor instituti Præmonstratensis,  
candidam vestem à Deipara sibi præmon-  
stratam accepit. Vt vel ex hâc causâ, ordo  
ille Præmonstratensis meritò vocetur. De  
quo nomine quidam lusit satis eleganter  
his versibus.

*Aurelius dat auream legem. Ordinis  
Spondetur Auctor calitus. Dat candidã  
Maria vestem. Crux locũ edis prænotat.  
Et esse præmonstratus ordo nisi hic potest?  
S. Ro-*



Acta S.  
Romual-  
di.

S. Romualdus vidit scalam à terrâ calum  
pertingentem, per quam homines in veste  
candidâ ascendebant & descendebant. eoque  
Camaldulenses Monachos, quorum instituti  
Auctor fuit, designari, mirabiliter agnouit.  
S. Francisco sui ordinis habitum à Deo ef-  
se demonstratum, auctor est Barthol. Pifa-

Sedul. in  
Apologia  
pro S.  
Francis.

nus, & ex eo Sedulius. Ac fides faciunt  
verba S. Bonaventuræ in vita S. Francisci,  
quando generatim de eius instituto lo-  
quens, *Servus altissimi* (inquit) *Doctorem*  
*non habebat in eiusmodi nisi Christum.* Et ip-  
se S. Franciscus in suo Testamento. *Nemo*  
*ostendebat mihi quid deberem facere, sed ipse*  
*Altissimus reuelavit mihi, &c.* Carmelita-  
rum habitum, ante annorum millia, ac  
Prophetæ Eliæ natalem, præmonstratum  
scribit liber de Institutione Monachi, sub  
nomine Iohannis Hierosolymitani. verba  
sunt. *Docuit Elias monachos hanc religionem*  
*profitentes debere pallio supervestiri albo:*  
*quemadmodum indutos albis Dominus præ-*  
*ostendit Sabachæ patri Eliæ.* Sed habent ista  
difficilem fidem, fitque Auctor, ille su-  
spectus

Tom. 4.  
Bibl. SS.  
PP.

spectus ob dubium nomen Iohannis Ierolymitani. Neque enim ei **p**osselibrum illum adscribi pluribus docuerunt Baro-  
nius & Bellarm. Firmius argumentum pro sancto habitu illo sumi potest ex ijs quæ de sacro illius ordinis scapulari feruntur, & habentur in manibus. Lege de ijs Carthagenam & Iudocum van Assche, Apud quos videre est etiam viros principes hoc scapulare gestasse: Ludouicum Franciæ, Edoardum Angliæ Reges. Henricum Ducem Alcastriæ, Henricum Northumbriæ Comitem, Angelam regis Boemiæ filiam.

Baron.  
tom. 6.  
cap. 44.  
Bellarm.  
de Scrip.  
Eccles.

Carthag.  
de arca-  
nis Deip.  
lib. 17.  
Homel. 2.

## CAPVT VII.

*Vetus religio est, sepeliri in habitu monachi.  
Referuntur viri magni & Principes, qui  
sic se sepeliri iusserunt.*

**A**lterum testimonium honoris & religionis in vestem monasticam luculenter dederunt; qui eâ indui præsertim morte instante, in eâ mori, sepeliri voluerunt.

Q

runt.

Habitū  
est anno  
622.

runt. Eamque pietatem durasse iam annos  
saltem mille, docent Concilium Toleta-  
num XII. & ea quæ de Rege V Vamba re-  
ferunt Hispaniæ annales. Res sic se ha-  
buit. Dederat V Vambæ regi optimo ac  
multis victorijs glorioso Eringius regiâ  
stirpe iuuenis potionem læthiferam, spe  
successionis in regnum. Ex hâc potione  
cecidit Rex in mentis alienationem: ei sic  
alienato dedit Episcopus pænitentiam, id  
est, vestem religiosam siue habitum pæ-  
nitentiæ; vt pro receptâ consuetudine, in  
eo extremum vitæ persolueret. Sed redijt  
ad se V Vamba, vi veneni superatâ: ac re-  
sciens quid circa se actum esset, memora-  
bili exemplo maluit diadema quam ve-  
stem monasticam deponere. Abdicatâ  
igitur à se regni administratione, & ro-  
gatis Episcopis vt Eringium vitæ suæ insi-  
diatorem in Regem eligerent, in mona-  
sterium secessit, ac in eo verus rex vitam  
finiuit.

Cavit verò Consilium, ne quis in po-  
sterum moribûdus habitu sacro vestiretur,  
qui

qui non verbo aut alio indicio petijisset. addito tamen hoc præcepto: vt quicumque eum semel accepisset, siue mente præsens, siue alienatus, in eo perseueraret. Obseruet hîc lector hanc Concilij Constitutionem non ferri nisi in consuetudinem iam inueteratam. Iam ergo anni multi transierant, quando Hispani moribundos etiã nescientes veste monasticâ vestiebãt.

Nec soli Hispani in hac pietate. Refert Com-  
mēt. ad  
cap. 15.  
vite S.  
Francis-  
ci. ex Roberto Licio Sedulius, plures summæ dignitatis viros, qui habitum S. Francisci aut gestarunt pietatis ergo, aut in eo sepulsi sunt. Gregorius IX. Pontifex factus primus fuit qui habitum S. Francisci induit, frequenter tulit, ac in eo sepeliri voluit. In eodem sepultus Martinus IV. & ipse summus Põtifex. Iacobus & Alphonsus Reges Arragoniæ. Fredericus & Robertus frater S. Ludouici Tholosani Reges Siciliae.

Addo Imperatores Græcos. De Manuele Cõmeno refert Nicetas Choniates, & pono eius verba. Lib. 7.  
Annal. *Imperator morbo correptus admotâ ad arteriã manu, & pulsu pertētato,*

Q 2

cum

cum alto suspirio femur percussit, & monasticum habitum postulavit. Quo dicto, cum ut fieri solet, tumultus esset ortus, ministri spiritualem vestem nigro panno, omnis ornatus expertem, nescio ubi nacti; mollibus & regijs vestibus detractis, & aspero illo divina vita indumento, in spiritualem illum convertunt militem: & galeam illum, thoraceque insigniore ornatum, in caelestis Imperatoris catalogum referunt. Sic igitur vita & imperio cedit.

Lib. 9.  
hist.

De Theodoro Lascari iuniore scripsit Nicephorus Gregor. Quod cum eum annum agentem aetatis sextum & trigesimum, molestus ac difficilis & plane lethalis morbus inuasisset, paullo ante mortem alacriter habitum monasticum induisse. Et de Andronico iuniore. Cū gravissimis doloribus cruciaretur, & mente alienaretur, atque id malum omnem medicorum artem superaret, & de vita illius postridie actum videretur: iurando adstantes adegisse, ut sibi monasticum cucullum induerent, priusquam vita excessisset.

Redeo

ET MONACHORVM HABITV. 125

Redeo in Occidentem. contentus tamen ex immensâ congerie duo aut tria exempla libasse. In habitu sacro, æuo iam recente sepulti sunt viri eruditione toto orbe clarissimi, Rodolphus Agricola, Albertus Pius Carporum Princeps, Christophorus Longolius.

*Surius  
in Com-  
ment. no.  
Domini  
M. D.  
XXXV.*

*Et ne longè exempla petantur,*

Fecit hoc sæculo nostro, ante oculos nostros, Princeps Belgarum Albertus, Pius, iustus, pacificus

*in templis Numa,*

*Mauors in armis, Nestor ingenio, & simul*

*Nestor loquelâ, fortis, inuictus, pius,*

*Prudens, Fidelis: omne nam punctum tulit.*

Fecerat non longè antè Alexander Farnesius, Princeps Parmensis, Belgica nostra

*Lipsius  
in virg.*

*Camillus. Quem ille titulum, varijs victorijs consilio & virtute partis, meruit: in rebus adflictis, & Belgicâ non solum diuisâ, sed in se armatâ.*

*Hallens.  
cap. 35.*

Q3

CA-

## CAPVT VIII.

*Refelluntur Sectarij qui pium hunc morem  
rident. adlegantur & alie Pontificum  
concessionones in fauores habitus monastici.*

**R**ident hunc pium morē Sectarij, est-  
que eis pura puta superstitio. Sed au-  
dite noui & nouatores. Fecerunt Pontifi-  
ces sanctissimi, viri eruditissimi, Principes  
pace & bello, cælo terraq; gloriosi; & vos  
sugillatis? Dicere solitus fuit Cicero, Malle  
se cum Platone errare, quam cum cæte-  
ris bene sentire: quis non eligat cum vi-  
ris præclarissimis Christianè desipere, quā  
vobiscum ambitiosè sapere? *Nunquid vos*  
<sup>Iob 12.</sup> *soli estis homines, & vobiscum morietur sa-  
pientia? non erit ita. Sed confidenter dicet  
quiuis Catholicus cum propheta. Et mihi  
cor est sicut & vobis, nec inferior vestri sum.  
Opponetque sannis vestris scutum inex-  
pugnabile. Quia stulta mundi elegit Deus,  
& Quod altum est hominibus abominatio est*  
apud

apud Deum. Atque vt magis ringamini. Concesserunt Pontifices liberales indulgentias, decedentibus in habitu religioso.

Lege  
Eman-  
uel Ro-  
der. qq.  
reg. tom.  
2. q. 77.  
q. 10.

Imó Deipara ipsa. Habet enim Carmelitarum Scapulare illud priuilegij, ex Deiparæ concessione, vt qui in eo sepelitur poenas purgatorij vltra Sabbathum sequens non patiatur. Testati id sunt Summi Pontifices Ioannes XXII. & Alexander V. Vnde alios testes non pono. Lege Carthagenam sup. Addo amplius.

Hemel  
2. in  
fine.

*inuidiã rumpantur vt ilia Codro*

Etiã osculantibus habitum sacrum indulgentiæ datæ. Iohannes XXIII. *Omnibus Christi fidelibus osculantibus habitum Ordinis Sancti Dominici, quinque annos & totidem quadragenas de iniunctis penitentijs relaxauit.* Sed sisto, neque enim ad labra vestra hæ lactucæ.

CA



## CAPVT IX.

*Veteres monachi cucullati: & quid significet cuculla gestatio. Quid Camelanchium.*

**V**T igitur eodem ordine Monachum describam quo Clericum, incipio à capite. non nudo, quale veteribus Clericis adserui, sed tecto.

Quid? inquires. Monachi austeritatis & pænitentiae professores capite aperto? Nunquid suprà ex Quintiliano docuisti, *Palliolum sola excusare potest valetudo?* Palliolum autem iuxta Lipsium interpretem irrefragabilem, capitis est tegumentum. Hunc scrupulum facile sibi tollet, qui cōsiderarit quale sit officium Monachi. *Monachus* (inquit S. Hieron.) *plangentis habet officium.* Fuisse autem veteribus in more tempore luctus faciem obuelare, generatim tradit Abulen. Atque id ipsum confirmat exemplum Dauidis, qui *aperto capite* filium Absalonem fleuit. Et de Romanis auctor est Plutarchus in Centur. Soluisse

In 2. Regum 6.  
19.

uisse filios in Parentum funere caput ob-  
nubere. Addo, Idem factitatum damnatis  
ad mortem. Exemplo est Amman ille, lu-  
dibrium & pila fortunæ, cui iam morti  
destinato Serui Regis, *faciem operuerunt.*  
Meritò igitur Monachi qui sua plorant  
vel aliena peccata, & mundo mortui  
Christo confixi sunt cruci, caput intra  
cucullum abscondunt.

*Vide  
Lipf. in  
notis ad  
lib. 2.  
de Cruce  
cap. 2.*

Est autem propriè cucullus operimen-  
tum capitis, simile papyraceis illis vasculis  
& formâ pyramidali, quibus pigmentarij  
vtuntur. De quibus lepidè Martialis ad  
suum libellum,

*Festina tibi vindicem parare  
Ne nigram citò raptus in culinam  
Cordyllas madido tegas papyro,  
Vel thuris piperisve sis cucullus.*

Aliam causam gestandi cuculli adsignat  
Cassianus, vt nimirum moneantur Mona-  
chi redire ad infantilem innocentiam,  
iuxta illud Apostoli, *Malitiâ paruuli esto-  
te.* Infantes enim cucullis vestiuntur. Vn-  
dè forma apprecationis quæ fiebat recens

*Instit.  
lib. 1. c. 4.*

R                      cucul-

130 DE VETERE CLERICORVM  
cucullato, ita se habet in Græcorum Eu-  
chologio *Frater noster induitur cucullam  
simplicitatis in galeam spei & salutis.*

Obseruo autem ex eodem Eucholo-  
gio, Nouitijs Græcorum Monachis in pri-  
mâ vestitione non fuisse datam cucul-  
lam, sed Camelauchium, quo galerus  
aut pilleus significatur, etiam personis  
sæcularibus in vsu, contra æstum aut

In vitis  
Patrum  
in vitâ  
Maria  
neptis  
Abraha.

ventum. Vnde Abbas Abraham condi-  
tionem Monachi in se occultaturus, in-  
ter cætera sæcularia vestimenta, sumit

Abraha.

*magnum Camelauchium. Camelauchium  
(inquit Suidas) dictio Romana est. Diciet-*

Rhodig  
L. 4. c. 18.

*iam gracè potest παρα το' καύμα ελαύνει  
quia calorem defendat. Vnde apud Aristo-  
phanij enarratores, Camelauchium idem  
quod prius dicebatur Philidion, id est gale-  
riculus.*

C. A.

## CAPVT X.

*Mulieres oportere esse velatas ex Apostoli doctrinâ. Ita etiam hodie incedere omnes faminas Orientales.*

**A**Tque hæc dicta sint de Monachorum capitis tegumento . Venio ad Monialium. Numerosæ enim earum fuerunt in veteri Ecclesiâ congregationes; & sancti illius propositi. infirmior & ignobilior sexus, nobilis portio . Fidem faciunt in ipsa adhuc Ecclesiæ infantia, Iphigenia, Regis Aethiopum filia. Quam quia flamme virginali Matthæus Apostolus consecrauerat, Hirtacus ad altare occidit, *victimam virginitatis* . Flauia Domitilla, Imperatorio stemmate illustris, sed illustrior ob lilium castitatis ac rosam martyrij. Constantia magni Constantini filia, S. Agnetis non ingrata beneficiaria. Publica generosa matrona, Iuliano Apostatæ occidere solita vna cum Collegio suarum virginū, illud Psalmi, Simulachra gentiū, &c.

*In eam  
vocat  
Hypol.  
lib. de 12  
Apostol.*

De mulieribus generalis est Apostoli  
 constitutio, debere incedere capite vela-  
 to. *Quia* (inquit) *mulier propter virum est,*  
*ideo velamen debet habere super caput suum.*  
 Hæc enim capitis opertio subiectionis  
 symbolum est: sicut contra in viro eius-  
 dem apertio, symbolum eminentiæ. Alte-  
 ram causam addit Apost. nimirum vt  
 caput velet *propter Angelos*. Vbi per An-  
 gelos siue intelligas sanctos illos admini-  
 stratorios spiritus, siue Episcopos, siue alias  
 perfectiores in Ecclesiâ personas (inter-  
 pretes enim variant) hoc certum, non  
 fuisse aliam Apostolo mentem quam in-  
 culcare, quid naturalis pudor & verecun-  
 dia ab illo sexu exigant. Vnde adludens ad  
 eum locum Ambros. *Ideo velamine obnubit*  
*caput suum mulier, vt etiam in publico tuta*  
*sit verecundia.* Vndè pluribus gentibus in  
 more fuit, etiam extra & ante Euāgelium,  
 mulieres velatas incedere, vt multis decla-  
 rat Tertull. scripto de hac re Tractatu. In  
 quo eleganter ambitiosas illas formæ suæ  
 publicatrices, *pudicitia mundinatrices* appel-  
 lat:

1. Cor.  
11.

De pan.  
1. c. 3.

lat: commendans Arabiae feminas, quae non caput sed faciem quoque totam ita tegunt, ut uno oculo liberato, contentae sint dimidiam frui lucem, quam totam faciem prostituere.

Quid diceret si hodie foret in vita? Quando non solum facies reuelata, sed pectus, papillae? Aut si haec teguntur, suo tegumento deterius nudantur, quando translucentes per tenuem telam cutis, duplex praebet incentiuum voluptati? Habet enim hodie suas sectatrices Ceo illa mulier Pamphila, quae ob inuentam telam bombycinam, non est fraudanda gloriae excogitatae rationis (inquit per ironiam Plinius) ut

Lib. 11.  
cap. 28.

denudet feminas vestis. Iudicabunt nos, dicebat suo aeuo Tertull. feminae Arabicae: diceret hodie, omnes feminae Orientales. Quae teste Cotowico, uniuersim caput linteo tegunt, faciemque velant: oculis, reticulo ex equinis setulis tenuissimis contexto, aut fasciam sericam transparente, adhibito: ut spectare ipsae alios commodius possint, et ab alijs spectari ipsae nequeant idque ex legis praescripto. Quod adeo studiosè obseruant, ut ne

Lib. 4.  
itinerar.  
cap. 19.

134 DE VETERE CLERICORVM  
dum proximi & familiares illis occurrentes,  
sed nec maritus ipse suam possit uxorem in-  
ternoscere.

C A P V T X I.

*De velo Sanctimonialium. Optato Mileui-  
tano vocari mitram aut mitrellam.*

Anno  
Domini  
57.  
In resp. f.  
ad Sym-  
mach. 2.  
Ep. 8 ad  
Demet.

Ad Epif.  
Lucania  
cap. 14.

Ep. 179.

**P**Ergo. Velum Sanctimonialium, non  
erat eis cum cæteris mulieribus com-  
mune, *sed densiori tela contextum, nulla ex  
parte perspicuum, inquit Baron. Vocat, il-  
lud Ambrosius, velamen ignobile, vsu nobile  
castitatis.* Benedicebatur per Episcopum  
sollemni ritu, *Scio (inquit S. Hieronymus)  
ad imprecationem Pontificis, flamen virgi-  
nale, sacrum operire caput, idque non nisi  
certis diebus, ex decreto Gelasij Papæ: e-  
ratque dies velationis spectatæ celebra-  
tis, ad instar sæcularium nuptiarum; ita vt  
in eo etiam apophoreta donarentur, vt vi-  
dere est apud Sanctum Augustinum.*

Velum hoc sacrum Optatus Mileui-  
tanus

tanus frequentius vocat mitram aut mit-  
 trellam. Mitra enim veteribus capitis mu-  
 liebris ornamentum erat. Et habes ex eo-  
 dem Mileuitano, soluisse Episcopum mi-  
 tram virgini imponere. Obijcit enim Par-  
 meniano Donatistæ incestum Episcopi  
 hæretici, qui Puellam impregnauerat. cu-  
 ius capiti paullo antè mitram imposuerat.  
 Adiungit præterea causâ mitræ gestandæ,  
*ut signum & indicium esset professionis, cōtra*  
*raptores, aut petitores inuentum, ne rem iam*  
*Deo deuotam, qui sponsabat perseveraret pe-*  
*tere; aut ne raptor auderet violare.* Vnde  
 colligas, aliam fuisse à mitrâ mulierum sæ-  
 cularium. erat enim indicium professio-  
 nis. Fuisse è materiâ laneâ & colore pur-  
 pureo indicauit idē Mileuitanus vbi dixit,  
*nulla sunt præcepta, vel de quâ lanâ mitrella*  
*fieret, vel de quâ purpurâ tingeretur.* Sæcu-  
 larium verò mulierum vela vt plurimum  
 erant aut byssina, aut serica, aut bomby-  
 cina: seruibantque non tantum tegendo  
 capiti sed etiam ornando. Vnde Thamar. *Gen 38*  
*virginem se mentitura, depositis viduitatis*  
*(vestibus)*

Lib. 1. &  
 lib. 6.  
 con. Par-  
 men.



*vestibus assumpsit Theristrum . Vbi vides vestibus viduitatis opponi Theristrum, quod genus quoddam muliebris velaminis est auctore Isidoro . Sanctimonialium vela, diximus, erant grossiora. Vnde monuit eas S. Aug. Ne sint tam tenera eis capitum tegmina, ut retiola subter appareant.*

Lib. 19.

Orig. 8.

27.

Ep. 109.

## CAPVT XII.

*Veteres Monachi tonsurati, aut potius in coronã rasi. Symbolica illius ritus rationes.*

**A** Monastici capitis tegumento transeo ad coronam. An similem ei quam Clericis tribuimus? Dissimilem fuisse affirmat Baronius, quo auctore Clerici tantum verticem capitis, monachi verò totum ferè caput radebant. Nam quod in Synodo Toletanã IV. statutum est, *ut Clerici toto capite detonso, solum circulum capillorum circa aures relinquant*; peculiare fuit tum loco illi tum tempori. Occasionem dederant quidam hæretici tunc in Hispanijs exortiti, tonsuræ clericalis malè æmuli . Monachis

Tom. 1.

cap. 58.

ET MONACHORVM HABITV. 127  
chos verò fuisse tonsuratos euidenter do-  
cent frequentiores in Monachos crini-  
tos SS. Patrum obiurgationes. legatur S.  
Augustinus & S. Epiphanius.

*Aug de  
opere  
Monach.  
cap. 3.  
Epiph.  
hæres. 80.*

Huius monasticæ abrasionis symboli-  
cæ rationes (præter eas quas pro Clericali  
coronâ dedimus) plures sunt. Ac primò  
apud S. Dyonisium, Capillus tonsus, pu-  
ram nullâque figurâ fucatam vitam in-  
dicat.

Secundò iuxta ea quæ habentur in Eu-  
chologio, Qui capillum partem corporis  
inanimem & excrementitiam refecat,  
profitetur sibi propositum esse, adfectio-  
nes animi mortuas & superfluum appeti-  
trices rescindere.

Tertiò, Abrasio capitis symbolum est  
& hieroglyphicum hominis lugentis. Vt  
patet non modo adsertione Scripturæ, sed  
etiam testimonijs exterorum. Vnde ex de-  
creto Concilij Toletani publicè pæniten-  
tibus Episcopus caput tondebat. Atqui  
monachus (vt alias ex D. Hieronymo dixi-  
mus) plangentis habet officium.

*Iob 2.  
Isaia 22.  
Sueton.  
in Calig.*

*Tolet. 3.  
cap. 12.*

S

Quartò.

Quartò. Veterum Gentilium more qui maris tempestatem euaserant, abrafam comam sacrificabant. Quid ni idem faciat Monachus, qui de procelloso sæculi huius mari, transit in tranquillum portum religionis, Verè enim iuxta S. Greg. Status religionis portus est.

Pined.  
ad c. 2.  
Iob.

Quintò. Solebant in sacrificijs summa pecudum capita radi. Auctor est Pineda id significare Virgilium, vbi scripsit.

22. Aen.  
neid.

*Dāt fruges manibus salsas, & tēpora ferro  
Summanotant pecudum.*

Greg.  
homel.  
20 in  
Ezech.

Atqui monachus per professionē se Deo sacrificat & in holocaustum offert. *Quia cum quis omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sentit, omnipotenti Deo vouerit, holocaustum est.* Præcessit horum typus in Nazaræis veteris Testamēti, quibus completo die quo Domino consecrabantur, Sacerdos caput radebat.

Nun. 6.

Sextò. Morituri comam abscindebant, inquit Pineda sup. Et credo verū in ijs qui violētam mortē sponte subibāt. Exemplo est Phædra apud Senecam, quæ moritura,

Hi.  
polito.

*Pla-*

ET MONACHORVM HABITV 139  
*Placemus umbras (inquit) capitis exu-  
uias cape,*

*Laceraque frontis accipe abscissam comã.*  
Alterum est, illa miserabilis  
*crudeli funere Dido*

*Quæ quia nec fato, meritã nec morte peribat,  
Vt liceret ei infaustam animam corpore  
soluere, fabulosa Dea*

*Dextrã crinem secat.*

Atqui professio religiosa mors quædam est  
ac quidem violenta, non menti sed carni.  
Quid enim violentius quã sequi clamãtem  
Hieronimum, *Per calcatum perge Patrem,*  
*Et licet sparsis crinibus in limine mater ia-  
ceat, siccis tamen oculis ad vexillum Crucis e-  
uola? Sed regnum calorum vim patitur.*

### C A P V T XIII.

*Sanctimoniales quoq; resectã comã. Satisfa-  
ctũ præterea obiectioni contrã proposita.*

**P**Orro sicut monachi tonsurati, ita  
Sanctimoniales resectã coma. *Ma-  
teria vestium,* inquit Sanctus Athanasius <sup>Lib. 2</sup>  
S 2 <sup>et a</sup> <sup>virg.</sup> instruens

instruens virginem sacram, *non sit pretiosa, capilli circumtonsi*. Ac morem hunc esse antiquissimum docent præterea quæ scripsit S. Hieronymus de Syria & Aegypti sacris virginibus, & Palladius in Lausiatis de Tabennisictis.

Hier. ep.  
ad  
Sabin.

Rationes symbolicae supra pro monachorum tonsurâ adlatæ, hic quoque seruiunt. Quamuis præterea habeat in virginibus hæc capillorum resectio peculiarem professionem, neglecturas se deinceps formam corporis, *quod*, ut dicebat S. Agnes, *potest male placere*. Multum enim mulieri dempseris de pulchritudine, si capillum. Vnde Gentiles Christianis mulieribus in partem supplicij capitis abrasionem irrogarunt. Sic in martyrologio Romano legimus, *Faustam ad ignominiam rasam*. Quia ut dixit Apostolus, *mulier si tondeatur aut decaluetur turpe est illi*. Et est ista turpitudine in eo sexu notabilis. Vnde apud Isidorum Pelus. Virgo quædam, iuuenem in se ob corporis formam insanientem, planè conuertit, cum se ei tonso capite spectan-

se. cap.

spectandam obtulisset, Vt enim dixit Apuleius, *Mulier etiam venustissima, si capillitio nudetur, licet illa cælo eiecta, mari edita, fluctibus educata, licet, inquam, venus ipsa fuerit, licet omni gratiarum choro stipata, & toto cupidinum populo comitata, & baltheo suo cincta, cinnama fragrans, & balsama rorans; si calua processerit placere non poterit etiam vulcano suo.* Vnde meritò de hoc, sacro ritu dicemus cum S. Ambrosio. *Qua* <sup>Epist ad Sabin.</sup> corporeo aspectu sunt turpia, sacrosanctæ religionis contemplatione sunt reuerenda: ut qui ista reprehendunt ipsi in laqueos reprehensionis animas suas inducant. Quibus verbis posterioribus, iam olim iugulauit S. Ambrosius hodiernorum sectariorum petulantiam quibus omnis hæc ceremonia, risus est & superstitio. Sed mori qui illos morantur: homines è Luciani magis quàm Christi scholâ.

Neque est quod scrupulum cuiquam faciat canon Concilij Gangrensis, quo anathema dicitur mulieri quæ prætextu pietatis caput totonderit.

Lib. 3.  
cap. 13.

Quia vt colligitur ex Sozomeno , agit Concilium aduersus mulierculas quasdam hæreticas, quæ deceptæ Eusebij Sebasthæni fraudibus, prætextu pietatis maritos deseriebant, & tonso capite, virilem habitum induebant.

Cap. 11.

Nihilo plus vrget obiectio ex Apostolo petita, qui in primâ ad Cor. docet, mulieri turpe esse tōderi, contrâ verò gloriosum comam nutrire. Facilis enim est responsio, docere ibi Apostolum generatim, quid regulariter & ordinariè mulierem deceat: non tamen negare, posse occurrere eam rerum circumstantiam, vt oppositum religiosè ac sanctè fiat. Ita enim suprâ vidimus commendari virginem Alexandrinâ, quæ vt à se lascium iuuenis amorē auerteret, caput sibi ipsa abraferat. Adde, iuxta legem

Num. 6.

Nazaræorum, tam viro quam fæminæ quæ se Deo consecrauerat, præceptum; expleto tempore consecrationis cæsariena ponere. Si hoc fecit Nazaræa, cur non faciat Sanctimonialis, cum huius illa typus fuerit & figura?

C A-

## CAPVT XIV.

*Etiam Gentiles aliquid de hoc ritu obseruasse.*

**O** Biter hîc obseruo, aliquid de hoc ritu religioso, Gentium vanitatem in suas superstitiones transtulisse. Constat enim ex Plinio, Consueuisse virginem vestalem, vbi per Pontificem in Vestæ Sacerdotem capta erat, abscissum crinem (Vestæ nimirum sacrum) in arbore lotos suspendere. vnde arbor capillaris dicta. Sed nihil hæc superstitio ad Christi virgines, quæ non Vestæ crinem resecant: sed in symbolum consecratæ Deo mentis, vnà cum crine significant, *abdicata sibi lenocinia pulchritudinis*, vt alibi de eis loquitur Ambrosius. Præsertim cum mulierum genus valdè φιλόκοσμον soleat in crinium & capitis compositione exorbitare. Vnde est falsa Comici irrisio.

*In resp.  
ad Sym-  
machus.*

*Dum parantur, dum comuntur annus est.*  
vt meritò peculiariter monuerint eum  
sexum



2 Tim 2  
1. Pet. 3. sexum Apostoli, ne sit eis ornatus in *tortis*  
*crinibus*, aut *extrinsecus capillatura*. Decla-  
Ep 23.  
ad Mar-  
cell. raut vtrumque S. Hieronymus, loquês de  
ea quæ de sæculo transierat ad religionem,  
*Tunc* (inquit *crines ancillula disponebant, &*  
*mitellis crispantibus vertex arctabatur in-*  
*noxius; nunc neglectum caput* (imò & ton-  
sum) *scit sibi tantum sufficere si veletur.*

Baron.  
Tom. 11.  
an. Do-  
mini  
1035. Obseruo præterea, grauitè in hoc ritu  
errasse Audericum quendam Hybernum,  
famâ sanctitatis alioqui celebrem. qui vir-  
gines more Clericorum in coronam ton-  
debat, ac ita sine velamine iubebat ince-  
dere. Sed nihil durauit hic error, mox ex-  
plosus vt ridiculus, & alienus ab Ecclesia-  
sticâ consuetudine.

Cucullam sequitur Tunica.

C A P V T XV.

*Quid Tunica. Quid Rasa. Rachana. Racha-  
nella. Rasophori.*

Agell. 7.  
cap. 18. **P**Orro Tunicæ sine manicis erant. Et  
sanè veteri æuo, *Roma ac toto latio,*  
*tunicis*

tunicis ultra brachia prolixis uti, viris indecorum fuit. Virgilius quoque tunicas huiusmodi quasi femineas & probrosas criminatur.

Et tunica (inquit) manicas, & habent redimicula mitra

Q. quoque Ennius, Carthaginensium tunicatam iuventutem non videtur sine probro dixisse. Vnde apud Nonium Marcellini. Tunica definitur, vestimentum sine manicis. Hinc Græcis vocata Colobium, κολοβὸν enim idem quod truncum, mutilum. Atque ita monachorum tunicae manicis truncatae. non ita monialium sed tunicae eis erant chyrodatae, aut (vt loquutus est Plautus) manuleatae. *Manica lanæ tibi sunt* (inquit S. Athanas. ad virginem) Lib. de virginit. *quæ tegant brachia usque ad manuum digitos.*

Et quia veterum monachorum indumenta, auctore Cassiano, Institus. lib. x. *magis ad morum informationem, quam ad corporis necessitatem erant spectantia: manicarum abscissio eis suggerebat, quod actus & opera mundi*

T huius

*huius, deberent eis esse amputata. Aut, vt di-*

Tom 4.  
Bibli. r.  
SS. PP.

xit Dorotheus Abbas, *non habere eos manus ad operandum aliquid hominis pristini.*

Tunica Græcis etiam *Rasa* dicta, indubiè ob eius vilitatem: vt deriuatio sit à græco *ράκος*, quo vilis pannus aut tritum vestimentum significatur. Indè inter pauperum operimenta *Rachanæ* & *Rachanellæ*, quarum quatuor veniebant vno numismate, in vitâ Iohan. Eleemos. hinc Monachi ipsi *Rasophori* dicti. Vide Græcorum *Euchologium* & *Rosweidæ Onomasticon*. Alibi appellatur *Lebitonarium*, *Lebete*, *Lebiton*. *Quod Aegyptijs Monachis* (inquit S. Hieron. in præf. ad reg. S. Pachomij) *vestimenti genus est sine manicis.*

Cap 20.  
& 26.]

C A-

## CAPVT XVI.

*Color vestis monastica vt plurimum niger. quam ob caussam. Habuit frequenter in aliqua sui parte Crucem purpuream. qua à monachis etiam manu gestata.*

**C**olor eius (sicut & Pallij monachalis) vt plurimum niger aut furuus. Ideò S. Athanasius Sanctimonialem instruens. *Indumentum tuum (inquit) fuscum sit. Aut, vt habet alia versio, pallium tuum nigrum sit, non tinctum sed nativi coloris. Eâ nimirum lanâ, de quâ Poeta,*

*pullo lugentes vellere lana.*

Contra huius coloris obtrectatores dixit S. Hieron. *Scandalisat quempiam vestis fuscior? Scandalisat & Iohannes qui camelorum vestitus tegmine zonâ pelliceâ cingebatur.*

Apud quem eundem Hieronymum B. Lea *vestem fusciorẽ induta. Sicut apud B. Asterium S. Euphemia, adstabat coram Iudice, pullâ veste & pallio philosophiam professâ.*

*Mart. in Apoph.*

*Ep. 23. ad Marcell.*

*Ep. 11.*

*In Concil. Niss. 2. c. 4.*

Ep. 199. *fessa*. Et reprehendit S. Augustinus Ecclesiam, quod relictâ veste matronali contra mariti voluntatem, fuscum monachorum habitum adsumpsisset. *Quod si (inquit) indumentum monacha delectabat, potius expediret coniugi obedire candidis moribus, quam nigellis vestibus repugnare.* Audiuius quoque superius, Manuelli Comneni habitum monasticum postulanti, vestem spirituales nigro panno à ministris delatam. Et alia quædam pro hoc argumento in superioribus inseruimus, quando de colore vestis Clericalis. Et si quis plura desideret legat Epistolam Petri Cluniacensis ad S. Bernardum.

Lib. 4.  
ep. 16.  
Scholijs  
ad loca  
S. Dyo.  
nisi sup.  
citata.

Rationem symbolicam, huius coloris docuit Pachymeres, *Hoc (inquit) significat nigra quâ induitur vestis, ut solitariè & unice, non dupliciter vel tripliciter vel multipliciter Monachus viuat. Alij enim colores facile mutantur ac in alios transeunt; & omnes quidem in nigrum mutari possunt: niger verò color, nullo vnquam modo in alium transmutari potest.*

Dixi,

Dixi, colorem vt plurimum fuisse nigrum. Alibi enim & quandoque variauit. Ac de Essæis (siquidem illi iidem sunt cum Alexandrinis de quibus Philo) scripsit Iosep. *Squallorem decorem putant, dummodo in veste sint albâ.* De S. Fulgentio eius Acta, *Subtus casulam nigello vel lactineo pallio coopertus incescit.* Et S. Athanasius in Instructione virginis, *Indumentum tuum fuscum sit, aut saltem album amiculum fimbrijs careat.*

*De bello  
Iudaic.  
l. 2. c. 7.*

Obseruo præterea Monachos S. Pachomij apud Palladiũ in cucullis gestasse Cruces purpureas: monachos verò Dorothei Abbatis in tunicâ signum purpureum. *Vt appareat, inquit Dorotheus, militare nos Christo, & quod tot gratiâ illius perferre debemus, quot ille causâ nostrî per tulit.* Atque vsque hodie S. Anthonius, vitæ monasticæ si non institutor, magnus propagator, pingitur in veste cui Crux adsuta est. Gestasseque monachos Græcos passim in veste Crucem, imo & Cruces vult Clariss. Lipsius, *Si rectè, inquit, Capi*

*In Lasc.  
sine c. 37*

*In Notis  
ad lib. 1.  
d. Cruce  
cap. 8.*

*Nicephorum Gregora . qui sic de Andronico Imperatore monacho nouello, supernè rubrum pratulit diuinae crucis signum, infernè nigrum. Duas diuersi coloris cruces videtur dicere. Ita ille ex quo addo, non tantùm in veste, sed & manu Crucem tulisse. Testantur id ipsum S. Anthonij imagines. Atque huc vsque durat is mos apud monachos Aethiopas, siue Abyssinos, vt ex Damiano Gomez retulit Lipsius.*

## CAPVT XVII.

*Tunica veterum Monachorum frequenter pellicea.*

**F**Vit verò Tunica veteribus monachis frequenter pellicea, sæpius cilicina. Pellicea melotem vocarunt, licet enim melotes propriè ouillam pellem significet, per catachresim tamen ad cuiusuis animalis exuuium extenditur. Sunt tamen qui existiment ita vocatam ab animali quod meles vel melo nominatur. Ita docuit Isidorus

dorus & secutus est S. Thomas. De mele loquens Gesnerus, *Est mele non alia quadrupes* (inquit) *quam qua recentioribus Taurus vel Tassus. Melis dicta ut aliqui volunt quia mellis avidissima. Aliqui idem putant cum eo quod vulgus fouinam aut marturellam appellat, magnitudine vulpis, cute spissa, villosa, sed duris villis: pilo tegitur magis albo quam nigro: Ita ille. Parum tamen interest à cuius animalis exuuio melotes nomen sortiatur, nobis sufficit vestem fuisse pelliceam. Dederat de eà Monachis exemplum Elias ac pallij eius hæres Elizæus, ; de quibus Apostolus. *Circue- runt in melotis, in pellibus caprinis.* Dederat & Iohannes vestitus de pilis camelolorum. Causa eis duplex fuit, paupertas & austeritas. De paupertate docuit Philo, vbi scripsit, Rusticos & pauperes viatores, quibus necesse erat quandoque sub die pernoctare, vfos vestimento expellibus confecto. De austeritate docuit Iohannes, qui in eum finem *tortuissimi animalis vestitur exuujs, ut typus esset penitentia**

Isid. Etymol. l. 19  
D. Th. ad cap. 17.  
ad Hebræos.  
Lib. 1. de animal.

Act. 11.



*Ad Lat. de insti- tus. filia.* penitentia predicanda, inquit Hieronymus.

## CAPVT XVIII.

*Refelluntur Sectarij. declaraturque pluribus exemplis capituli superioris doctrina.*

*Serm. de  
natiuit.  
Io. Bap.*

**L**Vdunt enim nouatores quando volunt Iohannem vsum veste hominibus montana incolentibus consuetâ. Re-  
ctissimè enim de eo dixit S. Bernardus. *Venit Iohannes neque manducans, neque bibens, utique nec vestiens. Sicut enim non est locusta cibus, nisi fortè animalium irrationabilium, sic nec pilus cameli humanum est indumentum.* Ridiculus verò Dauid Cythraeus, cui Iohannis cilicium vestis vndulata est, germanicè, **Chamelot.** Heus bone vir, Iohannes in Eremo est, qui autè pretiosis vestiuntur in domibus regum sunt. Vestis vndulata quandoque è lautissimis fuit, auctore Plinio. imo regia teste Varrone. Aliter sensere S. Patres, quibus ideo pilis camelorum Iohannes vestitus, *ut habitus ipso*

*Plin. l. 8.  
cap. 48.  
Var. l. 1.  
de vita  
pop. Ro-  
man.*

ipso doceret mundi contemptum, & omnem  
*superbia rationem contemnendam; homines*  
 quoque ad omnem laborem ipso habitu pra-  
 pararet. Optimè eo seruibant tortuosissi-  
 mi animalis pili, nihil habentis recti, nihil  
 gratiae, nihil decoris, quem natura dedit la-  
 bori duro, addixit magno ponderi, extrema  
 tradidit seruituti. Talipenitentia magister  
 indui debet vestimento. Ut meritò apud  
 Paulinum, palliorum ex camelorum pi-  
 lis contextorum asperitate compuncti, so-  
 lentur se Iohannis exemplo quem pili ca-  
 melorum hirto tegmine vestiebant. Hos igitur  
 veteres Patriarchas monachi æmula-  
 ti sunt. Ita apud S. Athan. Anthonius ve-  
 stimento cilicino intrinsecus, desuper pelliceo  
 utebatur. Hilarion apud S. Hieron. has di-  
 uitias moriens relinquit, Tunicam sacci-  
 neam, cucullam, pallium. Iacobo Nisibitæ  
 apud Theodoret. *Vsus lanae superfluus:*  
 asperri enim caprarum pili eius usum im-  
 plebant, ex eis fiebat ei tunica & simplex  
 amiculum. Aptonius apud eundem etiam  
 Episcopus factus, nec cilicium mutavit mo-

Chrysol.  
 hom. 10.  
 in Mat.

Pet.  
 Chrysol.  
 ser. 178.

Ep. 10. ad  
 Scuer.

In vita  
 S. An-  
 thon.  
 c. 28.

In vita  
 cap. 38.

Philotei  
 cap. 1.

Cap. 5.



*titudinem vestimenti, illud ad corpus contrabant, sicque constricti brachijs, impigri ad omne opus monachale reddantur.* Ex quibus colligas monachos illos Aegyptios, alia habuisse scapularia quam communius reliqui.

Et si attentè Cassianum legeris, videbis eadem ferè fuisse cum Ephod Mosai-  
co, vt meritò superhumeralia appellata sint. Ac in primis quod scribit Cassianus, seruijsse illa Rebrachiatoria stringendæ vestium latitudini, id ipsum ita præstabat & Ephod, vt inde nomen sortitum sit. Descendit enim à radice  $\text{רָבַח}$  quod non tantum superinduere, sed & cingere vel arctare significat, vt pluribus exemplis de-  
clarat à Lapide. In c. 28.  
Exod.

Item quod dicit Cassianus, amborum brachiorum ambijsse sinus; id quoque faciebat & Ephod. Erat enim auctore Iosepho Græcanicæ epomidi simile, ac per  
omnia in modum tunicæ factum. Qui a-  
lio loco thoraci illud comparat. quòd  
ipsum etiam Philo fecit, Sacerdos tunicæ Lib. 3.  
Antiq.  
Lib. 4. de  
Bel. c. 6.  
Lib. 2 de  
Monar.

V 2 (inquit)

(inquit) *superinduitur textum pectorale thoraci simile*. Vnde errare colliguntur qui Mosaica superhumeralia communibus monachorum scapularibus compararunt, neque enim illa aut vestem stringunt, aut corpus ambiunt, aut aliquo modo thoracem tunicamve referunt. Licet hoc cum superhumerali Mosaico habeant commune, quod *duas iunctas oras habeant in utroque latere summitatum*, & quod duobus humeralibus vt loquitur Sixtus Senen. aut duabus exomidibus vt loquuti Interpretes 70. Humeros pectusque tegat.

## CAPVT XX.

*Scapulare Græcis Analabus. Quid Ependytes. Quid Eraciestes.*

*Doctrin.  
1. de  
Abre-  
vian.*

SCapulare Græci Analabum vocant, vt videre est in Græcorum Enchologio, & apud Dorotheum Abbatem. *Habitus noster (inquit) is est, Tunica absque manicis, Zona pellicea, analabus, cucullus*. Additque eius significationem,  
*Anala-*

*nalabus* (inquit) *in modum Crucis ponitur*,  
vt eo signo admoneatur monachus vocis  
dominicæ, *Tolle Crucem tuam*.

Apud asceticos Scriptores frequen-  
tius nominatur Ependytes. fallitur enim  
Marius Victorius qui ea voce interulam  
significari putauit: quæ iuxta omnes E-  
pendytes vestis exterior. Et Interpres vitæ  
S. Anthonij apud S. Hieronymum, (siue is  
Hieronymus sit siue Euagrius.

*nam adhuc sub Iudice lis est*)

loquens de S. Anthonio, *lauit* (inquit) *E-  
pendytem suam, id est scapulare*. licet enim  
aliqui existiment interpretationem illam  
ex margine irrepisse in textum, admit-  
tunt tamen eam rectam esse & genuinam.

Ependyti apud S. Hieronymum in vi-  
ta S. Hilarionis adiungitur Eraciestes.  
*Quam totam vocem quia nō intellexit Eras-  
mus obmisit*, inquit Lindanus. Laborant-  
que hodie Auctores in reddendâ huius vo-  
cis significatione. Petrus Lansselius teste  
Rosweida existimat legēdum Eriacestem,  
quasi lanam acu consutam. Ipse Rosweida

*Apolog.  
p. 2.*

158 DE VETERE CLERICORVM  
rem linquit indecisam. Lindanus putat le-  
gendum fore Racidion, vel Racion, vt  
detortum sit à græco *ῥακιν*. Vide quæ paul-  
lò infrà ex aliâ occasione de hac voce fu-  
mus dicturi.

C A P V T XXI.

*De Monachorum Zona. quid Symbolicè si-  
gnificet.*

*Vide  
Cassian.  
lib. 1.  
Instit.*

**T**Vnicam cingebat Zona, quandoque  
lanea, vt plurimum pëllicea : idque  
veteri instituto. Sic enim cinctos refert  
Scriptura Eliam & Iohannem Monacho-  
rum Parriarchas. Et Acta S. Fulgentij, *Pel-  
liceo cingulo, inquit, tanquam monachus  
utebatur.*

*Suet. in  
Iulic.*

De cinctura monuit Cassianus, *vt non  
sit superior lumbis, est enim muliebri: neque  
laxior vt tunica diffluat; ignauium enim est  
& molle. etiam apud Gentiles. Vndè nota-  
tus fuit Caius Cæsar quod esset fluxiore  
cinctura. Ac inde emanauit Sylla dictum Op-  
timates sapius admonentis, vt malè precin-  
ctum*

*Etum puerum cauerent . Et Cicero ro-  
gatus quare Pompei partes , non Cæsaris  
secutus esset , præcinctura , inquit , me fefellit .  
Existimarat enim Cæsarem malè præcin-  
ctum enermem , nec Pompeio restitutum .  
Hinc homines luxui & crapulæ deditos ,  
afotos dicimus , discinctos , dissolutos .*

Quid verò Zona apud Asceticos signi-  
ficet breuiter explicuit Dorotheus Abbas. Dorothe  
sup.  
*Zona cingimur (inquit) vt ad opus quodque  
adincti quam primum sumus . laboraturus  
enim quis primum adcingitur . mortificati  
quoque corporis signum est . Ideò omnes San- Theophil  
in cap. 3  
Matth.  
cti in Scripturâ introducuntur cincti , ve-  
luti semper in opere existentes , vel quod ad  
fectiones concupiscentia mortificarint .*

C A



## CAPVT XXII.

*Quid Pallium. Commodius fuisse veterum  
Toga. vnde in monachos illud trivium, ο  
γραικὸς ἐπιθέτης.*

**T**Vnicæ Pallium super-imponitur. Scripsit de eo commentarium eruditissimum Tertullianus. Occasionem ei dederat quidam irrisor qui falsè obiecerat, *Itâne de togâ ad pallium, ab equis ad asinos?* Inierat nimirum Tertullianus vitæ genus eminentioris, quale apud Gentiles profitebantur qui se Philosophos dicebāt, & apud Christianos qui monachi vocantur: atque ita abiectâ togâ induerat Pallium. Verius enim, quàm quod quidam alij voluerunt, Tertullianum vnâ cum Christianismo sumpsisse pallium, eò quod omnes veteres Christiani recens conuersi ita factitarent. Neque enim eum morem fuisse, pluribus demōstrat Baronius, & nos paucis attigimus sup. Et satis insinuat ipse Tertullianus, tunc demum ei acceptum  
Pallium

Tom. 2.  
p. 197.

Pallium, quando professione sublimioris cuiusdam Philosophiæ, sese à turbâ & populo secreuerat, verbis quæ subijcio.

*Ego (inquit) nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo, nulli officio aduigilo, nulla rostra præoccupo, nulla prætoria obseruo, cancellos non adoro, subsellia non contundo, iura non conturbo, causas non elatro, non iudico, non milito, non regno. Secepsi de populo, imo unicum mihi negotium est, nec aliud nunc curo, quam ne curem.* Ita de se Tertullianus vbi palliatus cepit incedere.

*Lib de  
Pallio  
circa  
finem.*

Pallium eidem Tertulliano describitur, habitus quadrangulus, ab utroque laterum regeustus, ceruicibus circumstructus, in fibula morsu humeris acquiescens. Fuit igitur vestis quadrata, fibulâ collo subnexa. Errat proinde Auctor libri de instructione monachi, quando Pallium definit, *vestem rotundam, à collo vsque ad tibias totum corpus cooperientem; anterius apertam, sed alibi vndique clausam: superius angustam, inferius amplitudine expansam.* Neque enim conueniunt, vestis rotunda, quod

X

adserit

162 DE VETERE CLERICORVM  
adferit ille Auctor; & vestis quadrangu-  
la, quod Tertull. Quatuor angulos habuif-  
se pallia Iudæorum probant verba Scri-  
pturæ per nos supra adlegata. *Funiculos  
facies in quatuor angulis pallij tui.* Ac ab eis,  
non verò à Gentilium Philosophis, in ve-  
teres monachos vsum pallij fuisse deriuat-  
um, docet Baronius. Commodam fuif-  
se vestem ac simplicem, nullumque ho-  
minis gressibus præbuisse impedimen-  
tum, testatus est Tertullianus. *Pallio (in-  
quit) nihil expeditius, cuius tota molitio est  
operire solutim, id est vno circumiectu,  
nullo tædio constat, adeoque nec artifice opus  
est, qui pridie rugas ab exordio formet, &  
indè deducat in tilias, totumque contracti  
vmbonis figmentum, custodibus Forcipibus  
adsignet.* Quibus verbis ridet veteris siue  
Romanæ Togæ operositatem, cui paran-  
dæ, rugis formandis, tilijs ducēndis, ac  
denique reliquo tabularum sinuumque  
artificio tantâ opus esset molitione. Ut  
meritò subiunxerit. *Conscientiam tuam  
per rogabo, quid te prius in togâ sentias in-  
dutūmne*

ET MONACHORVM HABITV. 163  
*duumne, an onustum; habere vestem an ba-  
iulare?*

Totum hoc veteris Togæ figmentum  
& artificium sigillatim exprimit Icon To-  
gati Senatoris, apud Edmundum Riche-  
rium, quem poterit curiosus lector adire.

*In notis  
ad Ter-  
tulliani  
Pallium.*

Ob usum Pallij orta in monachos ca-  
lumnia ὁ γραικὸς ἐπιθέτης, Impostor &  
Græcus. Quia enim Pallium Græcorum  
erat gestamen, factum est vt vulgari con-  
uicio, qui monachi Græci vocarentur, &  
ab iniectioe pallij, quod Tunicæ super-  
imponebant, etiam imponentes siue im-  
postores. Id simpliciter accipiebat indo-  
ctum vulgus ob Pallij superimpositionem:  
cæterum litterati figuratum morsum in-  
telligebant in vocabulo ἐπιθέτης, in quo  
fieret ad impostoris nomen apud latinos  
adlusio: deceptoris nimirum & sanctita-  
tem mentientis.

*Beatus  
Rhenan-  
us.*

X 2

CA-

## CAPVT XXIII.

*Quid Mafortes. & quare Monachorum  
Pallia paxos dicta.*

**C**ASSIANUS de Aegypti monachis agens  
tradit, Pallium veteribus monachis  
alio nomine *Mafortem* dictum. *Post-hac*  
(inquit) *angusto palliolo, tam amictus humi-*  
*litate, quam pretij vilitate, colla pariter at-*  
*que humeros tegunt; quod Mafortes tam no-*  
*stro quam ipsorum nuncupatur eloquio.* De  
Maforte notat Baronius fuisse diuersi ge-  
neris indumentum, pro diuersarum perso-  
narum conditione. Erantque alij viles, alij  
preciosi. Viles erant & angusti monacho-  
rum, vt constat ex adlegatis Cassiani ver-  
bis: preciosi & laxi Mafortes mulierum:  
quales Melaniae iunioris, de qua Heracli-  
des. *Quidquid vestium sericarum in Ma-*  
*fortibus habuit, sacris altaribus dedit.* Qua-  
lis item ille de quo holoserico Abbatisa  
(de cuius causa agitur in Epistolâ Synodi  
Pictauen.) *& pallam altaris fecerat, &*  
*nepti*

*Horac.  
cap 49.*

*Refert  
ex Greg.  
Turon.  
Baron.  
an. 593.*

ET MONACHORVM HABITV. 165  
*nepti sua in tunicâ purpuram posuerat. neque enim vile indumentum erat quod holericum: neque breue ex quo facta esset altaris palla, & insuper ornata sponfa. Eiusdem generis erat Maforte de quo S. Hieronymus reprehendens stultarum luxum puellarum, Et per humeros byacintinalena, Maforte volitans.* Ex quibus intelligas non fuisse angustum pallium, quod præ sui latitudine panderetur ad ventum: vti etiam in statuis sculptis videmus. Commune tamen fuit vtrique sexui, quod ad tegendos humeros collumque veluti Pallium compositum esset: Ob idq; communi æquè nomine Mafortes diceretur. Ita ferè Baronius. Vide præterea Rosweid. in Onomast.

*Epistola  
ad Eustochium.*

Quia Pallium monasticum vile erat, hinc vocabulo græco *πάνος* legitur appellatum. Ita Nazianzenus in laudibus Basilij scripsit, iussu præfecti Basilio detractum Pallium ac laceratum. In græco loco Pallij est *πάνος*. Quâ voce ibi pallium significari, satis indicant verba Basilij quibus sub-

*πάνος.  
χένιος  
πάνος.*

X 3 iecit,

166 DE VETERE CLERICORVM  
iecit, *Exuam prætereasi ita lubet & tuni-  
cam.* Adlusit enim S. Episcopus ad confi-  
lium Domini, *Ab eo qui aufert tibi indu-  
mentum, & tunicam noli prohibere.*

Luc. 6.

C A P V T XXIV.

*An apud veteres usus femoralium: Proba-  
tur responsio affirmatiua, & satis fit ratio-  
nibus contrâ adlegatis.*

**M**Ouent hic quidam quæstionem de  
veterum femoralibus. Quæ possit  
pluribus videri curiosior quam vtilior;  
prætereundam tamen non censui: tum vt  
plena sit nostra de veterum vestitu tracta-  
tio: tum quia occasionem suggerit Regula  
S. Benedicti, in quâ, *femoralia hi qui in  
viâ diriguntur de vestiario accipiant, qua  
reuertentes lota ibi restituant.* Ex his rectè  
videtur colligi. Ergo domi erant absque  
femoralibus. Ac de his longam disputatio-  
nem instituit noster Philippus ab Eleemo-  
syna. testaturque vsque in sua tempora,  
Scotos sub tunicâ fuisse sine braccis aut  
femo-

femoralibus. Idem de Iudæis insinuare videri possit Scriptura, quando expressim iussit fieri Aaron & filijs eius *feminalia lineæ*, Exod. 28. *ut operirent carnem turpitudinis suæ.* Quidenim hoc præcepto opus si feminalia passim in vsu?

Mihi tamen nunquam visum fuit veteres siue Iudæos siue Romanos, siue vllam bene institutam Remp. sine eis fuisse passim & quasi ex certâ regulâ. Ac inter Barbaros notæ Gallorum braccæ, Assyriorum Sarabellæ. Decere feminalia docuit natura ac Deus ipse ipso mundi exordio. Primi Parentes originariâ mentis iustitiâ ac simplicitate nudati, ideoque de corporum suorum nuditate confusi, *consuerunt sibi folia ficus, feceruntque inde sibi perizomata*, id est succinctoria, siue subligacula. Interpres quo vsus fuit Sanctus Augustinus vertit *Campestris*, 14. De Cinit. cap. 17. *ex eo dicta, quod iuvenes qui nudi exercebantur in campo pudenda operiebant: unde ita succinctos, vulgus campestratos appellabat. Primi igitur parentes campestrati.* Adiecit  
Deus



Deus tunicas pelliceas, campeſtria ponere non iuſſit: volebat enim verecundiæ magis conſultum, non detractum. Quis igitur credat, Iudæos, ad quos hæreditariâ propagatione primorum Parentum inſtituta tranſierant, dimiſiſſe perizoniata, quæ natura inuenerat, Deus probauerat, & tunicis adiectis pudoris tutelam ſuppleuerat?

Neque quidquam probant quæ ex Scripturâ contra propoſita ſunt. Quid enim ſi Dominus iuſſit Sacerdotibus fæminalia fieri? Iuſſit & tunicam. Nunquid ideò cæteri ſine tunicis fuere? Iuſſit & zonam. nunquid ideò cæteri aſoti & diſcincti? Sed non aduertunt qui ſic dubitant, Sacerdotibus Moſaicis duplices fuiſſe veſtes, ſacras & vulgares ſiue laicales. Miniſtraturi in Paſtophorijs ſiue Exedris veſtes laicales ponebant, ſacras ſumebant. De ſacris ergo veſtibus tota hæc iuſſio eſt, quæ de fæminalibus eò magis neceſſaria fuit, quo caſtius ſacra quam prophana tractanda ſunt. Addit Abulenſis, eò quoque ſeruiſſe

seruiffse hanc iufionem, vt per eam Sa-  
 cerdotibus tolleretur libertas in femina-  
 lium vfu. licet enim de ijs gerendis etiam  
 vulgo effet confuetudo, non tamen ne-  
 cefsitas. Denique dicemus (quod infinuat  
 S. Aug.) non tam de feminalibus Domi-  
 no curam fuiife, cum illa forent vfu quo-  
 tidiani, quam de Sacerdotum caftitate, cu-  
 ius memoriam iftorum mentione refricat;  
 tanquam fi propofito figno, ad rem figna-  
 tam mentem ducas. *Signum* (inquit S. Pa-  
 ter) *voluit eife caftitatis, qua ideo per indu-  
 mentum fignificatur, vt non ex feipfo habita,  
 fed data intelligatur.*

¶ 122.  
 in Exod.

Romanos communius & ferè in vfu  
 quotidiano fuiife in femoralibus aut fal-  
 tem campeftribus probat vel illud folùm  
 Ciceronis, primo Officiorum, *Scenicorum* Cap. de  
 Tempa-  
 rianis.  
*mos tantam habet à veterè difciplinà vere-  
 cundiam, vt in fcenam fine fubligaculis pro-  
 deat nemo. Verentur enim fi quo cafu euene-  
 rit, vt corporis partes quedam aperiantur,  
 afpiciantur non decorè. Quæ ratio fi Sceni-  
 cos mouit, quibus frons eft perfrictior;*  
 Y *quanto*

quanto amplius, magis ingenuos qui ad minima quæque vultum suffundunt? præfertim si ad veteres Romanos attendas qui sine tunicis solâ togâ amicti fuerunt? Ex quo instituto vterque Cato, æquè ambo seueri, in prætura frequenter sententiam, sine tunica in solâ togâ dixerunt. Non satis seuerè si sine subligaculis. Quid quod fuerit in more, teste Plutarcho, vt candidati in sola toga sine tunica supplicarent, quæ eis sic gestabatur, vt conspicua essent omnibus vulnera cicatriceque? Quântum hic pudori periculum si demis feminalia! Et quare, amabò, Horatioreiicitur vt inutilis & intempestiua.

*Penula solstitio, campestre niualibus auris,*  
nisi quia cāpestria æstati seruibant, braccæ aut femoralia longiora brumæ? sicut inter vestes extimas penula brumæ, lacerna solstitio?

Difficultati motæ ex Regula S. Benedicti pluribus modis potest respõderi. Præmitto tamen, non defuisse qui putarent, femoralia per Regulam vetita, excepta itin-

ris

Agell.  
l. 7. c. 12.

Plutar.  
in vita  
Corio-  
lani.

ET MONACHORVM HABITV. 171  
ris aut alia simili necessitate. Ita senserunt  
Monachi illi Cistercienses, qui Cluniacenses  
tanquam Regulæ præuaricatores accusabant  
quod femoralia induerent. S. Hildegardis in  
Regulæ expositione existimat nõ quidem  
prohibita, sed nec præcepta, eoq; videtur  
inclinare quod tunc nõ fuerint in usu.  
Ego sub correctione ceseo nec vetita, nec  
præcepta: fuisse tamen in usu saltẽ  
succinctoria siue cãpestria. Respondeo igitur  
r. S. Benedictũ eã regulæ parte statuere, vt  
in iter directis dentur femoralia longiora,  
quia quotidiana & domestica breuiora  
erant. Cãpestria enim renes tantũ &  
verenda subcingebant. Qui habitus nõ  
satis idoneus itineri, si fortẽ casus  
cogeret ob arenã, lutum, pluuiã,  
tunicam colligere; ac inferiorẽ  
femorũ partẽ poplitibusq; vicinam,  
nudare. Indecorum enim hoc personæ  
religiosæ. Et ex hãc caussa datum  
præceptũ Mosaicis Sacerdotibus,  
*Nõ ascēdes per gradus ad altare meũ,  
ne reueletur turpitude tua.*  
nec enim hãc sermo est de turpitudine  
sita in membris genitalibus; huic enim à fe-

Apud  
Petrum  
Cluniacenses  
lib. 1.  
ep. 21.

minalibus satis cautum erat: sed de eâ quæ in nuditate inferioris partis femorum sita est, vt rectè docuit Abulensis, ex cuius opinione Sacerdotum Mosaicorum feminalia renes tantùm ac femorum partes superiores velabant.

Adc. 20.  
Ep. 28.  
Exod.

Secundò respondeo. Eo tendere hanc S. Benedicti constitutionem, vt itinerantibus dentur femoralia meliora, quàm eâ quæ erant in quotidiano vsu. Sic enim paullò infra generatim præcipit, vt in viam directis vestes dêtur meliores & honestiores. Alioqui de femoralium vsu verè dixit Petrus Cluniacens. *Femoralia (inquit) defendimus, ratione necessitatis, mundicia, honestatis. Rei huius honestas satis intelligitur: necessitas autem apertius exponeretur, si de talibus sicut de cæteris liberè loqui permitteremur. honestum tamen est, utile, necessarium.* Necessitatem Petrus non exposuit; exposuit Abulensis; quem, qui volet adeat. Moneo tamen, sic me veteribus adscribere feminalia, vt nihilominus lubens admiserim, non fuisse eorum vsu,

Petrus  
venerabilis  
sup.  
ep. 28.

Abulens  
ad c. 28.  
Exod. 9.  
21.

vt

vt nunc, perpetuum præsertim ætate ac  
 intra parietes. Atque ita intelligo quod  
 scripsit S. Ambros. Legem Mosaicam de offic. 1. 1  
 feminalibus à nonnullis suo tempore ob- cap. 18.  
 seruata, quasi plures non obseruarent,  
 domi nimirum atque extra omne nudi-  
 tatis periculum. Vbi enim illud vel leui  
 argumento timebatur, nec ipsi Histrio-  
 nes sine subligaculis erant, vt ex Cicerone  
 audiuimus.

## CAPVT XXV.

*Veteres Monachos, vt plurimum, calcea-  
 tos fuisse. Quanam calceamenta fortia a-  
 pud Vopiscum. quanam clauata. exempla  
 quorundam seueriorum qui nudipedes.*

**D**E calceamento quædam supra nobis  
 notata. vbi etiam verbo diximus,  
 ne monachis quidem fuisse nudos pedes, si  
 quosdam seueriores excipias. Monachi  
 quidem Aegiptij apud Cassianum, *Calcea-  
 menta tanquam Evangelico præcepto probi-  
 bita portare recusant; sandalys tamen suos  
 muniunt*

174 DE VETERE CLERICORVM  
muniunt pedes, utpotè Christi Domini per-  
missione concessis. Adferentes hoc eorum  
usu ex Christi institutione signari, ut si in  
hoc mundo constituti omnimodè exuti esse  
non possumus à cura & sollicitudine carnis;  
necessitatem corporis breui saltem occupatio-  
ne expleamus. Quid verò de hoc Domini  
præcepto sentiendum, diximus sup. Essæi  
apud Iosephum calceati. S. Equitius cal-  
ceatus clauatis caligis apud S. Grego-  
rium. Clauatis (inquam) in quo S. Abbatis  
eminuit cum humilitate frugalitas. Calcea-  
menta enim clauata eadem sunt, quæ Au-  
reliano Imperatori in Epistolâ militari ad  
suum vicarium, *calceamenta fortia*. Mi-  
ites enim calceos sibi, quo durarent,  
clavis configebant: quod etiam nunc  
Rustici faciunt. Ita calceatus militari mo-  
re Iulianus ille, cuius fortitudinem præ-  
dicat Iosephus. S. Benedictus in Regulâ,  
Caligas & pedules indulget. Sanctus Ber-  
nardus calceos ipse sibi inungit, dæmo-  
ne inuidente, & operis vilitatem expro-  
brante. Sanctus Ulmarus per noctem,  
quo

*Lib. 7. de  
Bello  
Lud. c. 3.*

quod tegat humilitatem, fratrum calceos purgat. &c.

*Survius  
in Inuit*

Excepi quosdam feueriores; & ex pluribus paucos hic pono. Sanctus Iacobus frater Domini, non laneam vestem, non calceamenta induit.

*Hieron.  
de Scrip.  
in Iacob.*

Abban monachus nunquam calceis pedes textit. S. Fulgentius, intra monasterium interdum soleas capiebat, frequenter nudis pedibus ambulabat.

*Theo. in  
philos.  
cap. 4.  
Acta S.  
Fulgent.*

S. Nortbertus initio suae conversionis, pede nudo etiam aspera hyeme, & tunicâ cilicinâ indutus incedebat.

*Histov.  
S. Nortb.*

S. Gerlacus Eremita sub instituto S. Nortberti, per niues & glacies pede nudo. Idem fecit Franciscus de Paula.

*in eius  
vita.*

& quod miretur orbis: S. Heduuigis Ducissa Poloniae, cui frigorum asperitas è pedibus sanguinis stillas frequenter expressit, sed ut adsumptam semel austeritatem deponeret nunquã extorsit. Cuius occasione monco.

Sanctã eam Ducissam (& si quæ fuerint alia istius austeritatis asceticæ mulieres) id fecisse, aut intra parietes & extra publicũ, aut saltẽ laciniã vestium pedes tegente.

alioquin





ET MONACHORVM HABITV 177  
*Baculi itineris socij. Rationem symbolicam  
subiunxit Cassianus, Eâ nimirum gesta-  
tione eos admoneri, ut nunquam inermes  
incedant inter tot oblatrantium vitiorum  
motus caninos, ac spiritalium hostium in-  
uisibiles bestias.*

C A P V T XXVII.

*De pelle caprina. An illa in vita Hilarionis  
significata per Tenatten. Cuius rei sym-  
bolum sit.*

**P**ergit Cassianus. *Ultimus est eorum ha-  
bitus pellis caprina qua melotes, vel pera  
vocatur. Conformiter ad hæc constitutio  
S. Pachomij. habeat ex his unusquisque pelle  
caprinam confectam albam. sine eâ neque co-  
medat, neque dormiat. Aliud hoc indumen-  
tum à Tunicâ pelliceâ. Expressè enim  
vterque tam Cassianus quàm Pachomius  
de Tunicâ iam antea dixerat: hic quidem  
sub nomine lebitonis, ille sub collobij. Do-  
cetque apertè hoc discrimen Regula S.*

*Invis.  
Patrum  
in vit.  
S. Pachomij. c. 22*

Z Pacho-

*sup.*

Pachomij vbi statuit, vt *Communicaturi* cingulos soluant, melotem deponant, cucullis vtentes tantummodo. Neque enim hic iubetur tunica deponi, non ergò melotes hæc tunica erat.

*Ado 12.  
Kal No.  
uemb.*

Incidit mihi coniectura, Pellem hanc Caprinam, in vitâ Hilarionis significatam fuisse corruptâ illâ & mendosâ voce. *Eraciestes*; de quâ suprâ quædam attigi: præsertim cum alia lectio, non *Eraciestem*, sed *Tenattem* habeat. Ita legit Ado Viennen. in martyrol. ac alij. Vbi suspicatur Rosweida alterum mendum. Et reponit, *Nactem*: ita vt (*Te*) finale vocis (*Ependytem* quæ præcesserat, librarij imperitiâ aut oscitantia, transferit in initium sequentis, ac factû sit. *Tenattem* *vaxy* enim aut *vaxra* Hælichio, pellem significat, ac frequentius caprinam. Aut si illa coniectura displicet, adfert Rosweida alteram æquè probabilem, & habentem fundamentum in manuscripto quodam Floriano, vt legendum sit, *Renaten*: vocabulo detorto, ac deprauato à Rhenone. Rhenones autem auctore

re

re Isidoro, *velamina sunt humerorum & pectoris usque ad umbilicum, intortis villis adeò hispida, ut pluias respuant, de quibus Sallustius, Germani intectum corpus rhenonibus tegunt.* Vtrum vis dixeris, confirmationem suam accipiet ab ijs quæ iam diximus de vestibus veterum monachorum; eritque earum singulas inuenire inter vestes Sancti Hilarionis, quas colligere est ex verbis Sancti Hieronymi, vbi de Hilarione.

Igitur *Sacco* tantum membra cooper- tus, (sub quo *cucullum* comprehendo) & pelliceum habens EPENDYTEN, NACTEN, SAGVMQVE rusticum, vasta solitudine fruebatur.

Symbolicam huius pellis significatio- nem retulit Cassianus, nimirum *debere eos in summâ virtutum gravitate consistere, mortificatâ omnium carnalium cupiditatum petulantia.* Sed quid causæ est quod eam *Peram* vocarunt? fortè quia peram figurâ referebat, aut monachis pro pera quandoque seruibat.

Tunica

Saccinea

cum cu-

cullo.

Ependy-

tes sine

scapu-

lare.

Sagum

rusticum

sine pal-

liolum.

Nactes

sine pel-

caprina.

*Philos.  
cap. 6.*

In humeris pellem hanc gestatam ad eum modum quo plures tam Canonici quam Monachi sua almutia visus mihi insinuare Theodoretus, apud quem, Simeon priscus *exiguum ex pelle caprina contextum pannum super humeros habet.* Imò Canonorum almutia ab hâc monachorum pelle originem suam trahere, ego saluo aliorum iudicio, existimo.

## CAPVT XXVIII.

*Sancti Benedicti & Concilij Aquensis de monachorum veste decreta. Quis habitus monachum deceat.*

*Capit.  
Reg. 55.*

**E**st de habitu Monachorum S. Benedicti sancta ac salubris constitutio, ut *vestimenta fratribus dentur, secundum locorum qualitatam vel aëris temperiem: quia in frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis minus.* Hac ergo cōsideratio penes Abbatem sit. Conformiter ad Regulam S. Augustini Sanctimonialibus datam, in quâ  
S. Pa-

S. Pater. *Distribuat<sup>r</sup> unicuique vestrum à Praposit<sup>o</sup> victus & tegumētum prout cuique opus fuerit, nec ad vos pertineat quod vobis indumentum pro temporum congruentiā proferatur, dum tamen unicuique quod necesse est non negetur.* Pergit S. Benedictus. *De vestium colore ac crassitie Monachi non caussentur sed quales inueniri poterunt in prouinciā in quā degunt, aut quod vilius inueniri potest.* Explicarunt Constitutionem S. Benedicti Patres Concilij Aquisgranensis; ac monachorum necessitatibus per omnia consulturi, etiam vestium numerum qui cuique sufficeret (fecit hoc ipsum etiam S. Benedictus) expresserunt. Primum igitur statuunt, *ut vestimenta eis dentur nec multum vilia nec multum pretiosa, sed mediocria.* Ad exemplum nimirum S. Augustini, cui vestimenta & calciamenta ex competenti & moderato habitu erant, nec abiecta nimis, nec pretiosa, apud Possidium. Pergunt.

*Abbas hoc omnino provideat, ut camisas* can. 22.  
*duas, & duas tunicas, & cucullas duas, &*  
*Z 3 cappas*

*Conc. Aquis. sub Paschal. 11. & Ludov. Pio. an. 817.*

*Canon. 70.*

cappas duas unusquisque Monachorum habeat. quibus verò necesse est, addatur & tertia. Et pedules quatuor paria, & femoralia duo paria, Roccum vnum, pelliceas vsque ad talos duas, fasciolas duas; quibus autem necesse est itineris causa alias duas. VVantos in aestate. Muffulas in hyeme veruecinas. Calceamenta diurna duo paria. Subalares per noctem duo paria. In hyeme vero soccos. Saponem & vincturam sufficienter. Hæc ibi. Et vis audire totum Benedictinæ suppelletilis splendorem ac diuitias? Dicit ipse Sanctus Benedictus. *Dentur ab Abbate omnia que sunt necessaria, Cuculla, Tunica, Pedules, caliga, bracila, cultellus, graphum, acus, mappula, tabula.* Nihil inter ista superfluum, curiosum, vanum. Et fanè magnum monacho ornamentum est, modestia in cultu. Fateor (dicebat Sanctus Augustinus) *de pretiosa veste erubesco, non decet hanc professionem.* vnde est illa eius ad Sanctimonialia admonitio, *ne studeant vestibus placere, sed moribus. Vilis enim habitus, bonæ professioni conuenit,* vt sup. ex S. Ambrosio

Regula  
cap. 55.

brofio diximus, & caftæ menti docente Tertulliano, *curanda est amputatio & decussio redundantis nitoris*. Vestium enim mollitudo luxuriæ læno est, ipsumque corpus & animum (vt verbo cuiusdam vtar) malacifât. *Vestium pompa* (inquit Tertull.) *de proximo curant luxuria negotium, & obstrepunt pudicitia disciplinis*. Contrâ. *Sordida vestes candida mentis indicium sunt*, inquit S. Hieronymus, vbi vestem sordidam eam dicit, quæ vilis ac neglecta est. Sordes alioquin etiam monacho vitandæ sunt. Quia auctore eodem, *nec adfectata sordes, nec exquisita munditia conveniunt Christiano*. Et placet audire quis cultus monachum decent? expressit Sanctus Hieronymus tribus verbis, *Neglecta mundities & in veste cultus sine cultu*. Fusius Sanctus Ambrosius. *Decor non sit adfectatus sed naturalis, simplex, neglectus magis quam expeditus; non pretiosus & albensibus adiutus vestimentis, sed communibus: ut honestati vel necessitati nihil desit, nihil accedat nitori*. Albentes vocat  
 quas

Tertul.  
 lib. de  
 cultu fa-  
 minar.

Ep. ad  
 Eustoch.  
 de instit.  
 virg.

Ep. 15.



184 DE VETERE CLERICORVM  
quas Seneca splendidas, vbi dixit, *Nec  
splendeat Toga, nec sordeat.*

CAPVT XXIX.

*Exempla eorum qui in veste vilitatem ama-  
uerunt.*

*Historia  
Barlaam  
cap. 18.*

*In eius  
vita a-  
pud Sa-  
ruum.  
d. Lunij.*

**E**T si quis Sanctorum, monachorum  
quotquot retrò actis sæculis vixere a-  
ctareuoluat, inueniet magnam sui studij  
partem in eo posuisse, vt vili, abiecto, ne-  
glecto habitu essent. *vestes nobis*, inque-  
bat Barlaam ad Iosaphat, *ex asperis cilicijs  
& ouium pellibus sunt. Vetus & omnes, & ex  
varijs pannis consuta imbecillam carnem no-  
stram atterentes.* Et iam antea adlatis exem-  
plis docuimus veterum Monachorum.  
Tunicas fuisse frequenter aut pelliceas,  
aut cilicinas. Et si cui placent exempla re-  
cètiora, dabo vnum aut alterum. Sanctus  
Norbertus candido suo ordine iam funda-  
to, ac electus in Archiepiscopum Magde-  
burgensem, tam paupere pallio vestieba-  
tur, vt cum Palatium Archiepiscopale,  
solem-

solemni pompâ, inaugurandus ingrederetur, ab ostiario tanquam mendicus prohiberetur. Sequuti Patrem suum primi Præmonstratenses, de quibus refert R. D. Seruatius la Rüel, Tantum fuisse eis paupertatis Evangelicæ studium, *ut veterem ac clauatam tunicam potius eligerent quam nouam aut integram. Vnde cum de nouis vestibus erubescerent, pannos veteres nouis adseebant. Neque te, Pater Francisce, prateribo, (inquit Marulus) cuius tegendo corpori tunica vnica, & ea crassi admodum fili, impolitaeq; texture satis fuit: quam pro cingulo præcinxerat funis, nodo adstrictus, ubi cõmittebatur, non fibulâ. hanc nuditatem tempore hyemis cuidam calumniati ac petenti, ut sibi guttulam sudoris venderes, sapienter respondisti, eam te Christo non hominibus vendere. Præclarissima quoque in huius humilitatis exercitio Elizabetha Hungarica fuit, quæ non erubuit vilissimæ vestis scissuras alterius coloris pãno refarcire. Hanc cum amisso marito Pater Rex in suam regiam reuocaret; maluit illa pannosa & mendici*

Tom 1.  
Catech.  
l. 56.  
doct. 2.

186 DE VETERE CLERICORVM  
 habitu in Xenodochijs pauperibus vlce-  
 rosis ministrare , quàm inter nobiles ma-  
 tronas , in regiâ patris domo , auro gem-  
 misque coruscare. Et est in hanc rem le-  
 pida Vultani Episcopi Vigorniensis re-  
 sponſio . Quærentibus enim quare vilis-  
 ſimo habitu ex pellibus ouinis vteretur ,  
 cùm abundè ſuppeterent pelles pretioſio-  
 res , reſpondit : *Quod non feles Dei , ſed  
 Agnus Dei in templis cantaretur* . Et quid  
 mirum , habitus modestiam à personis sa-  
 cris ac mundi contemptum profitentibus  
 adſumptam , cùm ea placuerit etiam vi-  
 ris Principibus ac ſummi imperij ? veriſſi-  
 mè enim ſcripſit Auctor recentior , *Ali-  
 quid ſemper in veſte neglectus , ingenia ma-  
 gna oſtendere* . Augustus Cæſar , *veſte non  
 temerè aliâ quàm domesticâ uſus , ab uxore ,  
 ſorore , filia , neptibusq; conſectâ* .  
 Rodolphus I. qui magnitudinis Au-  
 ſtriacæ ,  
*Imperium Oceano , famâ quæ terminat aſtris ,  
 primus fundamentum ſuâ pietate poſuit ,  
 frequenter in vulgari & grifeâ veſte  
 fuit* .

Zuinge-  
 rus thea-  
 tri vol. 7.  
 lib. 4.

Scribani  
 in politi-  
 cico  
 Chriſt.  
 cap. 15.  
 Lipſius  
 ex Suet.  
 l. 2. mo-  
 nit. Polir.

fuit. Cumque Ottocarus Bohemiæ Rex homagium ei esset facturus monuerunt Imperatorem familiares, ut in veste Imperatoria ac splendido apparatu compareret; in tali Ottocarum aduentare, Non facio, dixit. Et quidem Ottocarus frequenter griseam vestem meam irrisit, sed nunc vestis mea grisea eum irridebit. Et fecit. *Ottocarus vili illi cultui se et aurum suum submitit, et ad genua accessit. non sine ludibrio: cum Imperator iussisset tentorium, in quo res gerebatur, subito pandi et reuelari, ut ab omnibus Ottocarus geniculans conspiceretur.*

## CAPVT XXX.

*Notatur Monachi ambitiosius vestiti. Reijciuntur pretextus et excusatiuncula, adducta una et altera lepidâ historia.*

**I**ustæ igitur S. Bernardi querelæ, contra quosdâ sui sæculi vaniores Monachos, qui (ut ipse loquitur) *non vestitum appetebant, sed ornatum.* Et cum regula mona-

*In Apo-  
log. ad  
Vilhel.  
Abbatē.  
cap. 55.*

A a 2. cho-

chorum iubeat, pro veste sumi quod vilius est, iam eis quærebatur, quod subtilius, venustius, vanius. Longè illi abierant à primorum Christianorum paupertate. Inter quos, cum nihil quod suum esset retinissent, diuidebatur singulis prout cuique opus erat. Ibi ergo nihil ociosum admittebatur, quanto magis nihil curiosum, nihil superbum. Putásne ibi cuiquam galabrum aut issembrum quarebatur ad induendum: cuiquam ducentorum solidorum mula quarebatur ad equitandum? Ecce ipse habitus noster (quod & dolens dico) qui humilitatis esse solebat insigne, à monachis nostri temporis in signum gestatur superbia. Vix iam in nostris provincijs inuenimus, quo vestiri dignemur. Miles & Monachus de eodem panno cucullam partiuntur & chlamidem. Solent dicere, (en prima excusatio) Num de vestibus cura est Deo, & non magis de moribus? At forma vestium, deformitatis mentium & morum indicium est. Non tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus.

Bern. de  
confid.  
cap. 3.

Bern. in  
Apolog.  
ad Trib.  
Abbat.

Alterum

Altera excusatio est. Non posse aliter conciliari auctoritatem supra vulgum, nisi quis vestiatur supra vulgum. Hoc velum vanitatis est, quod ab ijs prætenditur, quibus in populo agendum. Sed tam vanum est, quàm vana auctoritas, ad quam hac via itur. Sanè Monachi sanctissimi Antonius, Martinus, Fulgentius, veste ac totius corporis habitu viles, inculti, deformes fuere; quis tamen dignè eloquatur quantâ auctoritate, non dico apud vulgum, sed apud summos Principes valuerunt? *Antonium* (inquit Athanasius) *in extremo mundi limite conditum, & fauor principum, & omnis celebrabat aula regalis: ad quem quasi ad Patrem Constantinus Augustus, & eius liberi Constans & Constantius crebrò missis litteris, obsecrabant, vt reciprocis eos litteris hilararet.* Atqui Antonius *vestimento cilicino* cap. 23. *intrinsecus, de super pelliceo utebatur. nunquam corpus lauans, nunquam pedibus sordes abluens, nisi cum transire per aquas necessitas compellebat.* S. Martino Maximi Imperatoris vxor frequenter ad mensam humillimè

*In vit.  
Anton.  
cap. 50.*

ancillata est . Ille tamen apud Sulpitium, veste sordidus & crine deformis est. Sanctus Fulgentius *unicâ* siue per astatem siue per hyemem vilissimâ tunicâ utebatur; erat tamen ille Coëpiscoporum suorum lingua & ingenium : eius doctrinam sapientiam, fidem, pietatem Rex inimicus, barbarus, hereticus admiratus est : eum per omnes Ecclesias ut proprium Episcopum suscipiebant; in occursum populis undique tendentibus, cum lucernis, & lampadibus, ac arborum frondibus. Signum proindè pusilli animi est, & internis ornamentis destituti, è vestium ornatu auctoritatem, cultum, obsequia sperare. Alioquin auro amiciri, & tot gemmis radiare, quot Oriens Occidentisque occultis sinibus fouent, etiam Asinus potest.

Et quia *qui nititur mendacijs, hic pascit ventos; idem autem sequitur aues volantes:* non tantùm non conciliat reuerentiam adfectatus in veste cultus; sed contrâ ridiculum facit, aut scommatibus obnoxium. Dabo duo exempla, vnum Clerici,

Auctor  
vite a-  
pud Sulp.  
in Lan.

Prov. 10.

ci, alterum Monachi. Contigit Parisijs ut  
 quidam magister Theologia predicaret in  
 Vniuersitate, indutus optimâ veste vel cap-  
 pâ in initio hyemis. Cum verò verba sua  
 tenuiter imprimeret in cordibus audientium,  
 quidam fatuus,

Vmbert.  
 ad reg.  
 S. Aug.

(Est quandoque olitor verba opportuna  
 locutus,)

qui erat in medio Scholarium, surrexit & di-  
 xit: Tace tu. illa vestis pretiosa, quam habes,  
 non permittit audacter te dicere verita-  
 tem. Qua res fecit ei miserabilem confusio-  
 nem.

Alterum est. Venit ad Regem Franciæ  
 (erat is, quantum memini, Philippus Pul-  
 cher) cuiusdam monasterij procurator,  
 multa quærens de iniurijs ac oppressioni-  
 bus cuiusdã militis. Eum segetes proterere,  
 venationem, piscationem in monasterij  
 fundis adrogare. hinc sibi domi rem an-  
 gustam fieri, ac plurium rerum penuriam;  
 Rex renidens, Omninò frater ita est. Res  
 vobis domi angusta est. Docent hoc an-  
 gustuli calceoli tui, pedibus (vt apparet)  
 adnati,



adnati, non inducti: sanè *de corio apud vos magna penuria est.* Cum hac irrisione comptulus Procurator, licet iustam causam proponeret, nullâ aliâ habitâ apostillâ dimissus est. Erat nimirum de numero eorû, de quibus S. Hieronymus, *Omnis his cura de vestibus, si bene oleant, si pes laxâ pelle non folleat.* Probè cauerat impingere in legem propudiosi magistri,

Ep. ad  
Eustoch.

*Nec vagus in laxâ pes tibi pelle natet.*

Sed hæc vitia personarum sunt, non ordinis aut habitus monastici. Vndè nims iniquus ille fuerit, qui has particularium ineptias in habitus religiosi verterit contumeliam. Est quidem verum ipsâ veritate monente, *lupos futuros qui venirent in vestimentis ouium: Sed non ideò* (inquit elegante S. Augustin.) *debent oves deponere indumentum suum, quia eo se lupi frequenter occultant.* Quis nisi demens Regibus suadeat purpuram exuere, quia multi sub ea Tyranni latuere? Nunquid ideo Senatores, Consiliarij, Causarum Patroni, Milites, ordinum suorum insignia reijciunt, quia multi

multi vulturij Togati, proditores Sagati? Sciuit profectò Tertullianus, plures fuisse pallio tenus & barbâ Philosophos, *homines ignauâ vitâ, Philosophâ sententiâ;* & tamen confidenter togam pallio mutauit. Ac insultanti, *Itâne de togâ ad pallium, ab equis ad asinos?* sapienter respondit: *Quid enim si à diademate & scepro? An aliter mutauit Anacharsis, qui Regno Scythia Philosophiam prauertit?* Dicemus & nos: An aliter mutarunt Principes Christiani, sed meliore quàm Anacharsis Philosophiâ, Lotharius Imperator; Sigismundus Burgundiæ Rex; Bamba Hispaniæ; Veremundus Castellæ; Raimirus Arragoniæ; Sigebertus, Alfridus, Ecbertus Northumbriæ; Ethelredus Merciæ; Hayto Armeniæ; Henricus IV. Daniæ; Carolomannus Alemanniæ; Trebellio Hungariæ; Casimirus Poloniæ? *Hi omnes testimonio fidei probati, diadematis & sceptris viles cucullos præuerterunt. Ut verissimè de monasticâ veste scripserit Tertull. Cum hanc sapientiam vestit, qua*

*Vide Platonium l. 2. cap. 26.*

*lib. de Pall.*

*vanissimis erroribus renuit; tunc certissimè*

Bb

super

*super omnes exuias & peplos augusta vestis:  
superq; omnes apices & tutulos sacer sugge-  
stus.*

*Suggestū  
vocat  
vestem  
superio-  
rem, in  
quem  
ferè sen-  
sum di-  
xit alibi  
Stat.  
Sugge-  
stum  
comæ.  
Paruum  
& ma-  
gnum  
Schema  
d'ferim  
notabat  
exercita-  
torum  
sive af-  
cetariū,  
de quo  
lib. seq.*

Pro Tractationis huius coronide, visum mihi, non fore ingratum lectori, si ex Græcorum Euchologio veterem ritum vestimenti nouellos Monachos subiecero. Vbi primùm obseruo, vestitionē fuisse trinam. Prima erat Nouitij: secunda, Monachi instituti in paruo, vt vocabant, schemate: tertia, instituti in magno & Angelico habitu.

Ordo instituendi Nouitium is erat.

1. *Sacerdos Nouitium tondet in modum Crucis.*

2. *Induit eum Tunica & Camelauchio.* Ab hâc tunica Nouitius, Rasam tantum ferens, vocabatur; quod de habitu religioso nihil præter tunicam aut Rasam gestaret. Quare tunica monastica Rasa diceretur, scripsi sup. Porro hunc veterem ritum videntur quædam Religiones hodie imitata: quæ Nouitios aliquamdiu in tunicâ nigrâ clericali ac camelauchio siue galero vulgari

ET MONACHORVM HABITV. 195  
vulgari probant, antequam eos ad habitum Ordinis, probamque accuratiorem admittant. Ita hodie faciunt Præmonstratenses ac quidam alij.

Ordo instituendi Monachum parui schematis.

1. Sacerdos ponit super eum Schematologium.

2. Accepto in manus forcipe, tondet eum in modum Crucis, ut ademptione sensu carentium capillorum, etiam abijciat irracionales cogitationes & opera.

3. Frater noster N. induitur tunicâ exultationis.

4. Frater noster lumbos cingitur virtute veritatis, in mortificationem corporis, & renouationem spiritus.

5. Frater noster induitur galeâ cœu spe salutis.

6. Frater noster sumit pallium in arrhabonem magni & Angelici habitus, in stolam incorruptionis & sanctimonie.

7. Frater noster subinduitur calceamentis Euangelij pacis. Deinde concluditur. Frater

Bb 2

noſter

196 DE VETERE CLERICORVM  
noster sumpsit arrhabonem magni & Ange-  
lici habitus.

8. Datur detonso Cereus, & Crux, & E-  
uangelium, & fit amplexatio.

Ordo instituendi Monachum magni  
& Angelici habitus.

1. Sacerdos tondet eum in formam Crucis,  
In nomine Patris & Filij, &c.

2. Frater noster induitur Tunicà exulta-  
tionis & iustitiæ, magni & Angelici habitus.

3. Sumit pallium magni & Angelici habi-  
tus in stolam in corruptionis & sanctimonie.

4. Induitur cucullam simplicitatis, in ga-  
leam spei salutaris.

5. Accipit scapulare, in nomine Patris, &  
Filij, & spiritus Sancti, adsumens Crucem  
suam in humeros, sequens Dominum Chri-  
stum.

6. Fratris nostri lumbi cinguntur virtute  
veritatis.

7. Subinduitur calceamentis in preparatio-  
nem Euangelij pacis.

Concluditur. Sumpsit magnum & An-  
gelicum habitum.

Fit

Fit rursus harum adprecationum recapitulatio, ac in oratione rursus explicantur;

*Vt in sanctificatione vitam instituens immaculatum conseruet, quem virtute tua induit, habitum.*

*Pro Tunica quidem, iustitiâ amictus.*

*Et pro Zona, mortificationem corporis & temperantiam in seipso circumferens.*

*Et pro Scapulari, Cruce ac fide adornatus.*

*Et pro pallio, Stolâ incorruptionis munitus:*

*Calceamentis verò, ut procedat in viam pacis & salutis.*

Sequuntur deinde ea, quæ in Ordine parui Schematis: datur *Cereus, Crux, Euangelium*, fitque amplexatio.

Antiquitas horum rituum patet ex S. Dionysio, qui sigillatim meminit tonsuræ cum signo Crucis ac SS. Trinitatis inuocatione, vestis mutationis, salutationis siue amplexationis. *Consignans* (inquit) *eum signo Crucis tondet, trinas diuine beatitudinis personas inclamans: exutumque omni veste aliam induit: & cum sanctis alijs qui adstant viris, ipsum salutans, diuinorum mysterio-*

*Eccl. hier. p. 2. cap. 6.*

198 DE VETERE CLERICORVM  
rum participem efficit. In qua consalutatione  
sacram intellige, Dei praesentium speciem,  
societatem, quã sibi inuicem cum lætitia &  
charitate congratulantur. His finio.

---

## PARS TERTIA

### CAPVT PRIMVM

*Clericos regulares rectè appellari Clericos-mo-  
nachos.*



**D**E Clerici-monachi no-  
menclaturã exigua est dif-  
ficultas, quia vtrumque  
vocabulum in ante-dictis  
figillatim explicatum est.  
Ratio verò has duas voces  
in vnam conflandi hæc fuit: quod cùm sint  
in Ecclesia fuerintque ab eius exordio, qui  
*monasterij abstinentiam cum Ecclesie dis-  
ciplinã* coniunxerunt, fidelibus ministran-  
tes vt Clerici, domi viuentes vt Monachi,  
visum

visum est hos, à iuncto utroque instituto,  
iuncto quoque vocabulo, Clericos-Mona-  
chos nuncupare. Genus hoc instituti in  
Ecclesiâ vetustissimum est, coepitque cum  
ipso Clericatu; ac primi in eo Apostoli. Qui  
licet ex Christi ordinatione essent Clerici,  
utpotè constituti ab eo principes super  
omnem terram, Doctores orbis, ministri &  
dispensatores mysteriorum Dei: monasti-  
cen nihilominus exercuerunt, eamque sibi  
voto & professione firmarunt, ut cum Bel-  
larmino paucis supra docui. In hanc sen-  
tentiam scripsit Greg. Papa, *Sacerdotes mo-*  
*nachos Apostolorum figuram tenere.* Aduerto  
tamè inter Apostolos & Monachos ad Sa-  
cerdotium promotos hoc esse discriminis,  
quod Apostoli primario ac principaliori  
instituto Clerici fuerint, cui monastice  
fuerit accessoria: contra verò fuerit in Mo-  
nachis in Clerum adoptatis. Vnde perfectiùs  
normam vitæ Apostolicæ illi exprimunt,  
qui Clerici regulares, aut simpliciter Re-  
gulares appellantur: nobis verò Clerici-  
monachi: (qui modus loquendi ne lectorè  
offen-

16 q. 1.  
c. ex au-  
toritate.



offendat, moneo, sequi me in eo communem eruditorum existimationem, ac inter cæteros Illustrissimum Bellarm. qui in libro suo de Script. Eccl. Canonicos regulares Hugonem & Richardum de S. Victore Monachos vocat. Qui cum indubiè instituto Clerici fuerint, etiam ex Bellarmini auctoritate; ac itidem ex eius sententiâ Monachi, restat vt fuerint Clerici-monachi. Fallitur enim qui Monachos propriè & adæquatè vult dici à solitudine. non à solitudine sic dicti, sed vnione cum sacrâ monade, vt dixit S. Dionys. aut animorum vnitate in communi & Apostolicâ vitâ, vt S. Aug. aut vnanimi circa eundem Dei cultum consensu, vt S. Gregorius.

*Greg. l. 1.  
in 1. Reg.  
cap. 2.*

C A-

## CAPVT II.

*Institutum Clericorum Regularium est institutum Apostolicum: & quàm strenuè huc vsque in functionibus Apostolicis illi desudarint.*

**C**ANONICOS Regulares idē cum Apostolis institutum seruare, frequentibus adsertionibus summi Pontifices declarauerunt: ac eruditè deducit Iohan. Mauburnus. Vocant enim vitam eorum

1. *Vitam Ecclesie primitiuam, Apostolicis institutam doctrinis: 2. in Ecclesia primitiua exortā, à S. Augustino sacris institutionibus stabilitam: 3. ad exemplum nascentis Ecclesie, 4. primorum Christiane religionis Clericorum normā traditionibusq; fundatam.*

Quæ omnia singulis Regularium Clericorum institutis conueniunt: hoc tamen addito, sic singulis conuenire, vt nihilominus singuli siugulos in aliquo excedant. Omnes quidem communem vitam professione firmatam ducunt: paupertatem tamen Apostolicam illi perfectiùs æmulantur, qui

*In Venetorio Canon Regular.  
1. Urban.  
II. Ad Lambert.  
Abbatia S. Rufi.  
2. Benedicti XII. Abbatib. S. Dyon. & S. Vict.  
Rhem.  
3. Esigen. IV. in priuil. Concil. Later.  
4. Sixtus IV. ad Lateran. Congr.*

Cc de

de ordine Regularium mendicantium sunt; ac inter eos alij alijs magis . Ecclesiarum sollicitudinem, curam populi, Sacramentorum dispensationem iam olim in plurimis tam Cathedralibus quàm Collegiatis Ecclesijs administrarunt illi Canonici Regulares, qui lineâ & Byrrho vtuntur. Quibus accedunt Canonici Præmonstratenses, qui vsque hodie innumeris Ecclesijs parochialibus ordini suo incorporatis præfunt: atque ante hæc infelicia tempora sexdecim Episcopatus itidem incorporatos administrarunt. In gentium infidelium conuersione, Euangelij propagatione, hæresum extirpatione, post Apostolos emi-  
 nuerunt sine dubio iam olim illi Clerici, qui in lineâ & Byrrho. Præmonstratenses quoque laudabilissimè eo munere functi. Testatur hæresis Adamitica & Sacramentaria Tanchelini per eos profligata, Saxonia & Sclauonia illustratæ, VVandalia magna ex parte conuersa. Sequuti hos Dominici & Franciscani, qui vsque hodie indefatigabiliter cum alijs sanctis mendicantium

*Seruat.  
 La Ruel.  
 in optica.  
 ex Steph.  
 Card.*

ET MONACHORVM HABITV. 203  
tium Regularibus in eâ functione decer-  
tant. Et quis dignè eloquatur quid & quan-  
tum debeat Polonia Hyacintho è familia  
Dominici? Petro Gandauensi laico Fran-  
ciscano Mexica? Malabares Alexio Meze-  
nio Eremitæ Augustiniano? Xauerio è So-  
cietate Iesu Iaponia? Quatuor nominaui:  
omnes, impossibile.

*Non mihi si lingua centum essent, oraq; cen-  
tum.*

*multiplicati enim sunt super numerum.* Ut  
mirum sit virum hodie magnum, scri-  
pto libello conatum docere, hac functione  
Religiosis Clericis interdicens; in qua  
ab ipsa Ecclesiæ infantia sanctissimè desu-  
darunt; quatuor mundi plagis, imò si licet  
dicere, nouis mundis vexillum Crucis in-  
ferentes. Sed hæc perfunctoriè de quibus-  
dam Clericorum functionibus delibat:  
sint, quia de his agendum libro sequenti.

## CAPVT III.

*Varia Clericorum Regularium epitheta: ea-  
que explicata. Quid de Epistolâ Clemen-  
tis ad Iacobum fratrem Domini quidam  
eruditi sentiant. Quando primum dicti  
Clerici, aut Canonici Regulares.*

*De stat.  
ac ord.  
can. l. 1.  
cap. 2.*

*Lorinus  
cum  
Turriano  
ad c. 2.  
Act.*

*Refertur  
cap  
Disidum  
caus. 18.  
q. 2.*

*2. 2. q.  
288. ar. 1*

Clericos Regulares siue Monachos, summi Pontifices varijs epithetis honorarunt, quæ latè prosequitur Signius. Ac primò vocati *Canonici*, à vitâ (vt sup. initio huius libri dixi) regulari: aut fortè, vt quidam recentiores volunt, *Canonici* à vitâ communi siue coenobiticâ. *Canonicos* primùm vocatos opinatur Signius à S. Gregorio, qui eos hoc nomine appellat in Epistola ad Marcianum Episcopum Rauennatem. Antea tamè ita vocati in Concil. Turon. sub Pelag. 1. Dicti prætereà *Religiosi*, à statu nimirum, in emissionem trium votorum Religioni substantialium consistente. De quo vide S. Thomam & eius interpretes. Religiosos vocauit Alexander II. in decreto

creto

creto suo contra Clericos concubenarios. Refertur  
c. Praesens  
dist. 32.  
 Haeceadem ratione, Concilium Tarraco- Refertur  
15. q. 2.  
c. Obser-  
uandum.  
 nense vocauit Clericos *professos*: quomo-  
 do vocantur aliàs frequentissimè. Quamvis  
 plures velint, veteribus temporibus pro-  
 fessionem fuisse tacitam (vt loquuntur) non  
 expressam. Quod parum interest, cum æquè Refertur  
12. q. 1.  
c. dilectis-  
simi, &  
c. Scimus  
 liget tacita atque expressa. Voti veterum  
 Clericorum meminerunt Clemens Ep. V.  
 ad Iacobum fratrem Domini, Urbanus I.  
 in Encyclica ad omnes Catholicos, Augu-  
 stinus in Sermonibus de cōmuni vita suo-  
 rum Clericorum, de quo fusiùs lib. 2. Obi-  
 ter hic aduerto, Epistolam illam Clementis De Scrip  
Eccl.  
 non carere scrupulo, vt dixit Bellarminus;  
 videturque eam reijcere Posseuinus in Ap-  
 paratu, quando eius auctorem vocat *Cle-  
mentem fictitium*. Primò, quia ad Iacobum  
 fratrem Domini inscribitur, quem certum  
 est longè antè obiisse, quàm Clemens in  
 Petri cathedra sederet. Obijt enim Iacobus  
 anno Neronis VII. Petrus verò, cui Clemès  
 successit, anno eiusdem Imperatoris XIII.  
 Secundò, plurima illius Epistolæ exempla-

ria, sicut rerum communionem commendant, ita & vxorum. quæ doctrina impijssima est. Scio, plures docere à quodam impio illa verba Epistolæ inserta. Scrupulum nihilominus non tollunt. Quia in libro decimo Recognitionum Clementis (ex quo quidquid ferè de communi vitâ in eâ Epistolâ docetur, ad verbum transumptum est) etiam vxorum communitas suadetur; non ex personâ Clementis, sed Fortuniani cuiusdam Philosophi Platonici, quem ibi Clemens refutat. Lege Posseuinum.

S. Aug.  
in Psal  
Eccē quā  
bonum.

Aduerto 2. Ob hanc communis vitæ professionem Clericos etiam dicēdos Monachos ex mente & doctrinâ S. Augustini: cui iste Monachus dicitur, qui professus est, *Quam bonum est quam iucundum habitare fratres in vnum*, vt suprâ ex eo vidimus.

C A-

## CAPVT IV.

*Canonici Regulares secularibus antiquiores.  
Locutio hæc (Canonicus Regularis) contra  
nasutiores defenditur.*

**O** Biter tamen hic moneo, errare eos, qui, quod apud S. Dionysium aut alios legunt de veteribus Monachis; id totum mox in Clericos-monachos transfundunt. Exempli gratia, legunt apud S. Dionysium Monachos excludi ab Ecclesiastica hierarchia, ac reponi non inter adducentes ad Deum, sed ad ducendos. Item, in Decretis Siluestri Papæ, Abbatem postponi Clerico etiam Ostiario. Ex his, nescio qua argumētandi methodo, statim omnes Abbates, siue illi instituto Clerici sint, siue non; omnes Monachos, siue Clerici-monachi sint siue simpliciter monachi, ad laicorum classem tantum non ablegant. Cùm contrà certum sit, Clericos-monachos id esse, quod primi Ecclesiæ Christianæ Clerici. vt sup. paucis dixi, ac postquam hæc scripseram,

*Refertur  
dist. 93.  
cap. 4  
Diacone.*



pferam, vidi eruditè per Illustrem ac doctis-  
 mum virum Carolum à Mansfelt declara-  
 tam. Et sanè, eos qui ex vi instituti sui vitam  
 communem profitentur, sacrificium offe-  
 runt, Sacramenta dispensant, fidelium Pa-  
 stores fiunt, prædicant, cathecizant; eos,  
 inquam, Apostolorum institutum seruare,  
 nemo eruditus nisi inuerecundus neget,  
 nemo nisi imperitus ignoret. Vnde, si, cæte-  
 ris paribus, à vetustate ius prælationis aut  
 præferentiæ acquiritur, reuera, Canonici  
 Regulares Canonicis sæcularibus vetu-  
 stiores sunt. Nolo tamen odiosam illam de  
 præcedentia ingredi quæstionem. malo e-  
 nim singulis in aurè dictum illud Christi,  
*Qui vult maior inter vos fieri, sit vester mi-*  
*nor;* ac cordibus insculptum magis, quàm  
 codicibus inscriptum, aureum illud è mo-  
 destiæ promptuario, *Honore inuicem præue-*  
*nientes.* Dicti postremo *Canonici Regula-*  
*res.* Ita videre est apud Gratianum caussa  
 XIX. q. III. vocanturque eò nomine hodie  
 passim. Cœperunt ita vocari ex sententia  
 Langhecrucij à tempore Concilij Mogun-  
 tinenſis,

Matth.  
 23.

Ad Ro.  
 man. 12.

Langec.  
 in Spec.  
 l. 1. c. 21.

tinensis, in quo decretum, *ut Canonici in monasterijs degētes Monachi fierent si vellent: sin autem, canonicè viuerent omninò. Ab illo tempore qui Monachi fiebant, & simpliciter secundum Regulam S. Augustini proprio renuntiabant, sicut omnes alij monachi faciebāt, dici cœperūt Canonici regulares. qui etsi à sanctorum Monachorum consortio non putentur seiuncti, regula tamen inseruiunt laxiori, ut Nicolaus II. & Innocentius III. rescripserunt.*

Can. 21  
Vido et-  
iam A-  
207.  
Instit. l.  
12. c. 33.  
Tom. 1.

Sunt quidam sibi nasutiores, qui istam loquendirationem reprehendant & accusent de battologiâ. Sed

c. presens  
20. 7. 3.  
C. c.  
Quod  
Dei ti-  
moris  
de stat.  
Monach.  
C. Can.  
Reg.

*Non cuiicumque datum est habere nasum;* suntque illi à plerisque refutati vel solo hoc argumento, quòd simili phrasi vsus sit Apostolus, vbi dixit: *Abba, Pater.* Atqui (inquiunt) alia est Apostoli locutio: nam Biblia correctiora voculam (Pater) includunt parenthesi; ad eum modum quo apud Iohannem legitur, Rabbi (quod interpretatur Magister:) ita ergo apud Apostolum, Abba (id est Pater.) Quæ quidem verissima sunt, sic tamen vt æquè quadrent in eam locu-

Rom. 8.

tionem

Dd

tionem quâ quis dicitur Canonicus regularis . Posterior vox , explicatio prioris est . Cùm enim quidam è Clericis primitiuam Apostolorum Regulã , *Ne quis aliquid suum diceret, sed ut essent eis omnia communia*, seruent ; quidam verò non seruent : meritò ad eorum discretionem hic modus loquendi inuentus est . Obstrepunt rursus quidam alij , *Ergo Canonici qui seculares dicuntur, antiphrasticòs canonici sunt, sicut bellum bellum, lucus lucens*. At hi quoque falluntur : licet enim demus Canonicos sæculares à primâ sui nominis significatione declinasse, quòd illa à communi Apostolicâ vitâ sumpta esset ; hætenus tamen illud meritò retinent, quòd omnia Canonicorum Collegia pro regulâ saltẽ canones Ecclesiasticos habent ; ac præterea singula peculiaria statuta , in quæ etiam iurant . Adde, quosdam sentire, Canonicos hodie tales dici non à regulâ, sed canone siue certæ pensionis præstatione, quæ eis ratione clericalis officij præstatur . Quæ canonis significatio apud Iurisconsultos frequens est : ac est de canone frumẽtario

tario

ET MONACHORVM HABITV 211  
tario vrbis Romæ titulus in Codice Iusti-<sup>lib. 11.</sup>  
niani. Clerici Canonici iuxta hanc inter-<sup>tit. 23.</sup>  
pretationem ijdem erunt, qui apud Cypria-  
num, Clerici sportulâtes; de quibus lib. seq.  
Posteriores Regulares, prænomen (Cano-  
nici) obmiserūt, quia cœperat in eorum ex-  
ortu ambitiosius vsurpari, ac censerī hono-  
ris magis quam operis. Quæ vsq; hodie vul-  
gi æstimatio est, sed remotissima à vero.  
Omninò enim Canonicus nomen oneris  
& operis est. Atque de eis non alijs (si res ip-  
sa perpendatur, & in vocibus non hæreatur)  
scripsit S. Aug. *Nihil esse in hac vitâ facilius,* <sup>Ep. 148.</sup>  
*& latius, & hominibus acceptabilius, Epis-*  
*copi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio; si per-*  
*functoriè & adulatoriè res agatur: sed nihil*  
*apud Deum miserius, & tristiùs, & damna-*  
*bilius. Item nihil esse in hac vitâ difficilius, la-*  
*boriosius, periculosius Episcopi, aut Presbyteri,*  
*aut Diaconi officio; sed apud Deum nihil bea-*  
*tius, si eo modo militetur, quo noster imperator*  
*iubet. Quæ omnia magis patebunt lib. se-*  
*quenti.*

Dd 2

CA-

## CAPVT V.

*Qui nam Instituti Regularis fundatores, propagatores, reformatores.*

*Testis  
Ioannes  
Manns.  
167144.*

**I**Nstitutum Clerici-monachi, siue Clerici regularis cœpit, vt dixi, in Apostolis; continuauitq; illud in Ecclesiâ Hierosolymitanâ S. Iacobus primus illius sedis Episcopus. Vnde vsque hodie quidam Canonici Regulares, se Canonicos S. Iacobi profitentur; atque vt declarent Apostolum illum esse sibi in peculiarem patronum, in confessione generali, sicut Deum, Deiparam, Petrum, Paulum, ita & Iacobum inuocant: eo modo quo alij Regulares, Augustinum, Nortbertum, Dominicum, Franciscum, Ignatium. Idem institutum Ecclesiæ Alexandrinæ inuexit B. Marcus, vt habet illorum Canonorum traditio, qui se S. Marci nuncupant, & in suis Epistolis Pontifices declararunt. *Huius ordinis & sancti propositi* (inquit Eugenius IV.) *post Sanctos Apostolos, primum in Alexâdrinâ Ecclesiâ Marcus Petri*

*In decre  
to ad  
Congreg  
L. H. R.*

*tri*

tri discipulus, institutor fuit & conditor. Non  
 adfentior tamen illis, qui Philonis illos The-  
 rapeutas confundunt cum Ecclesiæ Alex-  
 andrinæ Clericis. Illi enim, de quibus Philo,  
 Monachi, non Clerici fuere: tum quod in-  
 ter illos etiam fæminæ, separatim tamen à  
 viris morantes: tum quod *extra mœnia dege-*  
*bant, in hortis aut villis solitarijs, amantes so-*  
*litudinem.* quod Monachorum est, nō Cle-  
 ricorum. Urbanus quoque Papa & martyr  
 conatus est occidentalem clerum iuxta A-  
 postolicam normam formare: extatq; eius  
 de vitâ cōmuni professione & voto firma-  
 ta decretum. Sed apparet, non permisisse  
 talis vitæ exercitium saltem perfectum,  
 temporum illorum iniquitatem, ac quoti-  
 dianarum persecutionum furores. Vndè  
 qui in Occidēte Clericatu iunxerit mona-  
 sticen, primum fuisse Eusebium Vercellen-  
 sem, testatur Ambrosius: *In Vercellensi* (in-  
 quit) *Ecclesiâ duo pariter exigi videntur ab*  
*Episcopo, monasterij abstinentia, & Ecclesiæ*  
*disciplina. Hac enim primus in Occidētis par-*  
*tibus, diuersa inter se, coniunxit Eusebius: ut*

Philq. de  
 vitâ cō-  
 temp.  
 inis.

Refertur  
 12 q. 1.  
 c. scimus.

Ambros.  
 serm  
 8. &  
 6).

et in ciuitate positus Monachorum instituta teneret, et Ecclesiam regeret ieiunij sobrietate. Idque ipsum præstantissimum vitæ institutum S. Martinus inuexit in Gallias, & S.

Adami  
328.

Augustinus in Africam, auctore Baronio. Quod ipsum paullò antè fecerat Athanasius in Oriente, qui quidem ab Alexandro Patriarcha Alexadrino in Clerum primùm adscitus; deinde à magno Anthonio, quo cum ab adolescentia adsueuerat, in monastica disciplina fuit institutus. Huic non satis visum fuit (inquit Baron.) Monachorum instituta in Clerum Ecclesiarum ciuitatis trāsferre, sed ipsos sanctissimos Monachos, quos cæteris nosset peritiâ & moribus antecellere, in Episcopos diuersarum Ecclesiarum adsciuit, vt ipse testatur in Epistola ad Dracontium.

Non fuisse sanctum hoc institutum in Africa vsitatum ante tempora S. Augustini, argumento sunt difficultates, quas in eius inductione perpeffus est, quæ eo vsque excreuerunt, vt coactus fuerit S. Pater ob Clericorum infirmitatem ab illo proposito recedere

cedere, quo statuerat neminem Clericum ordinare, nisi qui professionem regularem emisisset. *Certè ego sum, (inquit) qui statueram nullum ordinare Clericum, nisi qui mecum vellet manere: aut si vellet discedere à proposito, rectè ei tollerem Clericatum, quia desereret sanctæ societatis promissum. Ecce in conspectu Dei & vestro, mutò consilium. Qui volunt habere aliquid proprium, quibus non sufficit Deus & Ecclesia sua, maneat ubi volunt & ubi possunt, non eis aufero clericatum.*

*Sec. 1 de  
vita suo-  
rum cle-  
ricorum.*

Sanctum Augustinum æmulati sunt SS. Prosper & Gelasius, hic sedis Apostolicæ Episcopus, ille Rhegiensis in Gallia Narbonensi Episcopus: & de Gelasio docent viri eruditi filium fuisse Valerij Episcopi Hipponensis, ordinatoris S. Augustini, ac sub eodem Augustino Ecclesiæ disciplinis imbutum.

Patricius quoque Hiberniæ Apostolus, S. Martini ex sorore nepos, & ab eo Clericus ordinatus; à Cælestino Papa in Hiberniam ad opus Euangelij missus, quæ sub aunculo instituta canonica didicerat, eadem

*Anno  
Christi  
431.*

in



216 DE VETERE CLERICORVM  
in clerum sibi commissum fideliter transfudit, erectis trecentis Ecclesijs, singulis assignato Episcopo cum Clero sufficiente, regulariter viuente.

Secutus hunc Gregorius Magnus, instituto quidem Monachus, attamen egregius canonici ordinis propagator. ex huius decreto Augustinus Anglorum Episcopus, Canonicum ordinem tamquam plantationem sacram in populo sibi commissio instituit, vt auctor est Eugenius Papa IV.

*Circa  
annum  
Domini  
D. C. I.*

*In priuil.  
Ecc. La-  
teran.*

*Concil.  
Mogunt.  
anno  
Domini  
D. CCC.*

*XIII.  
Concil.  
Aquense,  
anno  
Domini  
D. CCC.*

*Concil.  
Lateran.  
sub Ale-  
xand. II.  
anno  
Domini  
D. lxxiii.*

De hoc transeo ad tempora Caroli Magni ac eius filij Ludouici Pij, quibus adnitentibus tam Moguntino quam Aquensi Concilijs gnauiter laboratum est in Cleri reformatione, quo tempore (vt supra dixi) Canonici professi primum dicti Canonici regulares.

Desudarunt in eadem caussa non longè postea Leo IX. Nicolaus II. Alexander II. cuius tempore habita Synodus illa Lateranensis, in cuius canone IV. Clericis vita communis præcipitur. Vsi fuere in hoc sancto negotio tam Nicolaus quam Alexander

xander operâ Petri Damiani: cuius etiam extat Regula Clericis Portuensibus scripta, & a Paschali II. confirmata, auctore Signio.

Sig l. r  
cap 4. i

Quæ eius adfertio non caret difficultate, quia, teste Baronio, Petrus obiit anno Domini millesimo septuagesimo secundo, viginti octo annis antequam Paschalis sederet; cuius Pontificatus initium incidit in annum M. C. Pronunciandum tamen erit pro Signio, si vera est inscriptio Epistolæ, quam Regulæ confirmandæ præmisit, *Paschali Dei nutu, summa & Apostolica sedis Episcopo, Petrus peccator Clericus, cum suis Confratribus salutem & omnem obedientiam.* Fuisse tunc Petrum non longè minorem centenario tradit idem Signius.

Iungo his Iuonem ex Præposito Sancti Quintini Bellouaci, Episcopum Carnotensem, & Arnulphum siue Ruffum ex Abbate Archiepiscopum Lugdunensem. Illum à reformato Canonico ordine, alterum *Esdræ ac spiritualis Hierusalem readificationem*, vocat Petrus Blesensis: hic verò exci-

Iuo circa  
annum  
1080.  
Auctore  
Naucle-  
ro.  
Ruffus  
circa  
a num  
M. C. V.

E c                      tatam

tatam à se regularem disciplinam ac plurimis tam in Gallijs quàm Italia monasterijs inuictam, etiam sanguine consignauit.

*Chrono-  
log. vol. 2  
gen. r. 37*

Auctor enim est Nauclerus, eum à Clericis, quorum vitia arguebat, clanculo occisum. Eius nomine insignita est Abbatia

*Refertur  
19. c. 2.  
& statui  
1041.*

propè Valentiam, dicta S. Ruffi; ad cuius Abbatem extat Epistola Urbani I I. decernentis, *Ne quispiam canonice professionis, leuitatis alicuius instinctu, vel districtioris religionis obtentu, ex eodem claustro audeat, sine Patris & totius congregatoinis consensu, discedere.*

*Ecli. 48.*

*circa  
annum  
Domini  
1120.*

Post hos surrexit vir Dei Nortbertus, cuius uerbum (de Elia dixit Scriptura) *sicut facula ardebat.* Hic primùm in Ecclesia Collegiata Xantensi Coloniensis diocesis, vitâ & moribus sæcularis Canonicus fuit. Deinde altâ Dei miseratione, è sua *vana conuersatione* reuocatus, ac mutatus in virum alterum; conuersionis suæ primordia, à Cleri correctione auspiciatus est. Sacerdos enim ordinatus, mox ab oblati Deo promitijs, pro more cum cæteris suis fratribus

in

in Capitulo residens; *accepto codice* (inquit Auctor vitæ) *alloqui cœpit Decanum: ostendens ex verbis Gregorij & Isidori, quorum Regulam tenere se dicebant, quòd ipse, qui erat omnium prepositus & magister, deberet eos ad rectum honestæ ac sanctæ vitæ tramitem reuocare.* Fuit hoc primùm æstuantis in eozeli argumentum. Commendatus postea à Gelasio Papa, Bartholomeo Episcopo Laudunensi, præfectus est ab eodem Ecclesiæ S. Martini in suburbio Laudunensi sitæ, *inquâ pauci Fratres erant, sub regula canonice professionis degentes.* Conatus est eos S. Pater reuocare ad incudem, ac primum Apostolici spiritus feruorem instillare: sed mox audivit, quod olim S. Benedictus, *Nolumus hunc regnare super nos.*

Ne ergò videretur contra Euangelij monita veteribus vtribus nouum vinum infundere, cogitauit de nouâ congregatione, aditoque loco multis indicijs à Deo *Præmonstrato*, in eo nouellæ religionis vineam, Deo fauente, plantauit. *Quæ mox multâ resurgens gloria meritorum, & gratia*

*redolens sanctitatis, palmites suos extendit  
à mari vsque ad mare.*

*Circa  
annum  
Domini  
1041.*

*Anno  
Domini  
1491.*

Emicuerunt postea in sancto illo opere,  
Fridianus Episcopus Lucensis; Leo de Ca-  
ratte, Institutor congregationis Frigiona-  
riae, quam Eugenius I V. voluit Lateranen-  
sem appellari: Stephanus & Hieronymus  
Institutores congregationis Scopetinæ si-  
ue S. Saluatoris: B. Laurentius Iustinianus  
ex congregatione S. Georgij in Algâ Vene-  
tjis, ibidem Patriarcha, vitæ sanctitate, spi-  
ritu Prophetiæ, miraculis clarissimus. De  
quibus singulis agere non est nostri propo-  
siti. Iungo eos, qui S. Nortbertum ponè se-  
cuti sunt, Dominicum, Franciscum, & qui  
nouissimis temporibus illuxit, Ignatium.  
Nec miretur lector, me viros illos inter Ca-  
nonici Ordinis restauratores reponere.  
Quidenim si Canonici non vocantur? ne-  
que ego eos voco, quia vsus non habet;

*Quem penes arbitrium, ius est, & norma  
loquendi.*

Sed de re non nomine mihi quæstio est. Sa-  
nè Dominicanos, Franciscanos, Iesuitas in-  
stituto

stituto Clericos esse docent eorum functiones: profitenturque singuli vitam Apostolicam. Quid ergò eis de Canonico deest præter nomen? Verùm sicut habitus non facit Monachum, sed sui abnegatio ac cum Deo vnio: ita nec nomen facit Canonicum, sed vita regularis aut canonica.

Hæc summam de Instituto Regulari sufficiat attigisse. Visum autem necessarium illa hic inferere, pro meliore intellectu eorum, quæ dicturi sumus lib. sequenti.

## CAPVT VI.

*Vestis linea sanctimonie & puritatis Hieroglyphicum. Almutia & cappas Clerici à Monachis mutuati sunt.*

**V**eterem Clericorum vestem soli illi Regulares retinuerunt, qui in albâ tunica, Rochetto siue lineâ, & Byrrho sunt: cæteri aut ad habitum monasticum declinarunt, aut eum adsumpserunt, qui Clericis

Ec 3

sæcu-

ſæcularibus in uſu. quod fecerunt Clerici  
Societatis IESV. Ac quidem lineam non  
modò ab Auguſtino, ſed iſtis Apoſtoliſ ſe  
accepiffe, contédunt illi Canonici, qui eam  
geſtant: nec contradico. S. Iacobum non  
laneo ſed lineo uſum collobio teſtis eſt D.  
Hieronymus; & de S. Marco habet tradi-  
tio eorum qui dicuntur S. Marci. Exiſtimo  
autem eos falli, qui ubi legunt, S. Bartholo-  
meum *Pallio uſum ſingulos angulos gemma-  
to*; aut Apoſtolum Thomam dixiſſe, *Pal-  
lium ſibi cum collobio ſufficere*: confundunt  
Pallia illa Apoſtolorum cum ſuis Byrrhis.  
Multum enim diſtare veterum Byrrhos &  
Pallia, patet ex dictis.

De uiris  
Iluſtr.

Cornel.  
à Lep ad  
Eſop. 28.  
Lxxv.

Porro linea veſtis apud pleroſque ſancti-  
monix Hieroglyphicum eſt. Linum enim  
mundiſſimum eſt, tum quia ſordes meliùs  
quàm lana detergit: tum quia lauari ſæpè  
potest. Secundò, linum licet tenue, neruo-  
ſum tamen eſt & robuſtum: adeo ut apros  
in eius retia ſe induentes, concidat. Tale  
debet & robur eſſe canonici. Tertiò, *Linum*  
(inquit Plinius) *ſemper iniuriâ fit melius. An-  
tequam*

tequam enim candescat & vsui fiat idoneum, necesse est euelli, siccari, macerari flusio, iterum siccari, tundi malleo stupario, decorticari, scindi sphaetâ ligneâ, pecti ferreis hamis, neri, in filo poliri, illud crebrò in silice ex aquâ, texti & tundi clavis. Sic Clerici vera sanctitas aduersis augetur, imò cuiuslibet Christiani.

*Tunsonibus, pressuris, expoliti lapides,*

*Suis coaptantur locis per manum artificis,*

*Disponuntur per mansuri sacris aedificijs.*

Ob has lineæ vestis conditiones, eam optimè congruere illis qui sacris præfunt, etiam Gétilium fuit existimatio. De ea Apuleius, *Sacerdotalis* (inquit) *est vestitus & amictus.* Et Sacerdotibus Aegyptijs aliam induere nefas erat, auctore Herodoto.

*In Apo-  
log.  
Lib. 2.*

Habent præterea Canonici Regulares inter cætera sui habitus, Almutia. Quæ ego existimo eis esse recētiora; nec ad veterem Clericum pertinere; quia non inuenio sufficiens pro eis apud veteres Clericos fundamentum: facturûsque est mihi rem gratissimam, qui demōstrauerit. Notauî suprà,  
opinari,



opinari me, Clericos ea mutuatos à Monachis, in quorum habitu est Melotes & pel-  
lis Caprina. Et suprâ dedi exēplum Mona-  
chi in humeris pellem suam gestantis; quo-  
modo hodie sua Almutia gestant quidam  
Canonici & Monachi Benedictini. Alij ea  
in brachijs deferunt: quidam ijs caput in-  
duunt. Duratque vsque hodie alibi mos, vt  
Sacerdos nouellus, primis sacris initiā-  
dus, è Sacristiâ ad altare Almutio caput tectus  
procedat, vt auctor est Iohannes Cognat-  
us, & in hæc ferè tēpora vidi in meo Mo-  
nasterio Tongerloensi obseruari. Quæ sit  
huius vocis etymologia non satis constat.  
Baysius deducit a Latino *Amicio*, quasi di-  
cas Amictia vel Amicia; & respondet Galli-  
cū, *Amuces*. Molanus à Teutonico *Hoofst-  
mustsen* id est capitis pillea, siue *Alde-must-  
sen*, id est, pillea seniorum. Vulgus opinatur  
deriuari ab eleemosynis, Teutonicè *Ael-  
missen*. Quæ interpretatio meritò displicet,  
præsertim quòd ex eâ vulgus existimet, Cle-  
ricis per modum tantum eleemosynæ su-  
stentationem deberi. Quæ existimatio falsa  
est,

Hist.  
Tora. 10.  
3. c. 51.

Bayf de  
re vest.

Mol. lib.  
3 de  
Canon  
6. 5. c. 8.

est, vt infra doceo; cum ex domini constitutione, *dignus sit operarius mercede sua*. Quidquid sit de vocis significatione, Almutia à monachis in Clericos deriuata huc vsque ego opinor, donec aliud quis suggererit. Vnde eadem est Clericalium Almutiorum significatio, quæ melotis aut pellis Caprinæ apud veteres monachos; nimirum, mortificationis. Vide quæ dixi supra. Quando eorum vsus apud Clericos coeperit mihi non constet: verosimiliter tunc dicitur coepisse quando Clericis monachi dati Episcopi: qua etiam occasione à Clericis nigrum colorem fuisse adsumptum sup. ex Baronio notauimus. Durasse apud Canonicos vsus Almutiorum annis saltem ferè quingentis colligere est ex historia Tornacensi, in qua refertur vetus pictura Lietberti Decani & Canonici Tornacensis Almutium in humeris gerentis. vixit verò Lietbertus anno Dom. M. C. L.

*Iohannes  
Cousin  
scip.*

De Cappa & cucullâ quâ suprâ lineam Canonici sæculares per hyemem vestiuntur, idem adfero quod de Almutijs: nimirum

F f

rum

rum ea deriuata à monachis ; cappamque referre veterum Monachorum pallium. Hoc tamen discrimine, quod pallia monachorum angusta essent, Cappæ hodiernæ laxæ ac longo firmate terram verrentes. Quâ sui prolixitate perseverantiam in sanctimoniâ vsque in finem, significant, Auctore Langhe-Crucio. Mutuatas eas à Monachis argumento est, quod in signum pænitentia à Canonicis Kalendis Nouembris adsumantur, teste Durando. Eo enim tempore, generale soluit in Ecclesiâ esse ieiunium auctore Isidoro: obseruatumque illud etiam post tempora Caroli Magni ex eo colligere est, quod eius mentionem Rabanus facit. *Tertium ieiunium est (inquit) quod constat in mense Nouembri, diuina auctoritate institutum.* Ita ille de Institut. Cler. lib. 2. Videturque idem hoc ieiunium cum eo quod in Gallijs dicebatur, *Quadragesima Sancti Martini*, cuius mentio fit in Synodo Matisconensi. In signum ergo pænitentia & disciplina illo tempore à Clericis habitus pænitentia adsumitur.

Constat

Spec. Ca-  
non. l. 5.  
cap. 22.

Durand.  
3 c. 7.

Isid. de  
Eccl. off.  
l. 2. c. 39.

Rabanus  
creatus  
Episcopus  
anno  
847.  
Carolus  
obijt an-  
no 814.

Celebra-  
ta anno  
814.

Constat verò veteribus eadem fuisse & pro  
 synonymis habita, habitum pænitiæ &  
 habitum monasticum. Vnde Ethwoldus ex  
 Monacho factus Episcopus Vintoniësis, Referat  
 Baron.  
 ex Osbert.  
 te anno  
 976.  
 cùm post varios conatus nequiuisset Clerũ  
 suum ad disciplinæ normam reducere; die  
 illo quo in Missæ officio pro Communione  
 canitur, Seruite Domino in timore; in me-  
 dium proiectis cucullis aliquot monachali-  
 bus, dixit: *Si vere cogitatis seruire Deo in ti-  
 more & exultare ei cum tremore; apprehendite  
 disciplinam, hoc est, vestem monasticam.*


Porrò Cappa talis dicta est ex eo, quod  
 corpus capiat, sicut tunica ex eo quod cor-  
 pus tueatur. Quia verò Francorum Reges  
 religionis ergò Cappam S. Martini cum a-  
 lijs Sanctorum reliquijs, in bellis per castra  
 circumferebant; hinc tractum, vt illi Cleri-  
 ci qui illius Cappæ custodiæ deputaban-  
 tur, Cappellani dicerentur, vt ex Durando  
 adnotauit Baronius. De quorum origine ac  
 officijs fusiùs acturus libro II. ad quem tran-  
 seo. In m. m. s.  
 tyrol. g.  
 ad 11.  
 1807.


FINIS.


## ERRATA.

Quæ propter Auctoris absentiam irrepererunt,  
ita corrige.


**I**N Epist. dedicat. pag. 34. lin. 5. lege animi pag. 10. lin. 4. primum lege primum, p. 15.  
lin. 14. rationalis l. rationalis, p. 17. lin. 1. minus lege nimis, pag. 19. lin. 5. concinnabitis lege cincinnabitis, pag. 23. l. vii. lege supernis, p. 32. lin. 11. lege Damonem p. 40. lin. 6.  
lege nullos, p. 41. l. 8. lege dicitur, p. 47. l. 22. lege epegidæ, p. 48. lin. 4. lege Rosvella,  
p. 51. lin. 13. lege praindicatas, p. 65. lin. 2. lege apparet, p. 80. lin. 2. lege teretibus, p. 90. lin.  
6. lege creata, ibid. lin. 14. lege Aulular, p. 95. lin. 6. lege consilio, p. 103. lin. 14. lege precat  
tionibus, p. 104. lin. 7. lege quæ Christi, pag. 107. lin. 12. d. ftingue. Allocandrinum A Ro  
mana p. 112. lin. 22. lege institutiones, pag. 70. lin. 4. lege manipulari, pag. 72. lin. 5. lege  
angustiore, pag. 140. lin. 6. lege Tabernis, pag. 142. lin. 3. lege Eusthatij, pag. 145. lin.  
17. lege sint, pag. 150. lin. 16. lege pelliceam, pag. 151. lin. 21. lege dio, pag. 156. lin. 12. lege  
Epomisibus, pag. 157. lin. 7. lege quia pro qua, pag. 159. lin. 5. lege enortem, pag. 169. lin.  
penult. lege de cord, pag. 180. lin. 17. lege qualitatem, pag. 182. lin. 15. brace & mon gra  
phium, pag. 183. lin. 4. lege lana, pag. 204. lin. 12. lege Canonici,











LANDMEYER  
De ueteri  
Clericor  
&  
Monachorum  
habitu.

Louanij 1626

PEYMERRI  
Reuocatoria  
Harens sua  
de Proceadant  
Roma 1657.

Elogium L. COR.  
Scipionis.  
Roma 1657

170

Th  
4901